


THS

1



Ex Bibliotheca
Collegii Evangelici,
Aug. Vindel.

L. M. Steinberger Sculp. A. V.

Stadtbibliothek
August

1438



15

Stadbibliothek
Augsburg

ANTICHRISTI

Demonstratio,

CONTRA FABV LAS PONTI-

ficias, & ineptam ROBERTI BEL-

LARMINI de Antichristo

Disputationem.

Authore ROBERTO ABBATTO, Oxoniensi,
olim è Collegio *Baliolesi*, sacrae
Theologiae Professore.

HILAR. cont. Arrian. & Auxent.

Quisquis Christum, qualis ab Apostolis praedicatus est,
negat, Antichristus est.

ACCESSIT IACOBI VI, ANGLIAE, SCOTIAE;
FRANCIAE ET HIBERNIAE REGIS
potentiss. fidei Defensoris, &c.

DE ANTICHRISTO
ex Apocalyps. cap. 20.

COMMENTATIO.



LONDINI

Excudebat Robertus Barkerus, Illustrissimae
Regiae Maiestatis Typographus.

MDCVII.

ANTHROPOLOGY

CONTRIBUTIONS TO THE

ETHNOGRAPHIC SURVEY

OF THE UNITED STATES

AND POSSESSIONS

NO. 1543

1969.1543



INCLYTISSIMO
ET SUMMA VIRTUTE
PRINCIPI JACOBO, ANGLIÆ,
SCOTIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ
Regi potentissimo, fidei de-
fensori, &c.

Inter suffragia nobilitatis
& acclamationes plebis, &
Ordinum omnium de Pa-
tre patriæ suscepto gratula-
tiones liceat nobis quoque ranunculis, in-
clytissime Rex, è studiorum officinis tan-
quam è specubus & cauernulis obsequia
nostra contestari, & imperio vestro diui-
nitùs (quod quis in tanto omnium tam
repentino consensu non viderit?) consti-
tuto, felicitates omnes & salutes & secu-
ritates, vitam prolixam, domum tu-
tam, exercitus fortes, senatum fide-
lem, orbem quietum, & quæcun-

Tertull. A-
polog. c.30.

EPISTOLA

que hominum sunt & Cæsarū vota & optata, comprecari. Atque inter illas apparatusum magnificentias & splendores, & variorum officiorum strepitus & pulveres, quibus vndique omnes tanquam de cælo delapsum principem certatim excipiunt, locum aliquem concedere dignare blandioribus Musarum alloquiis, vt qui à tumultu forensi alieni latemus in angulis, quòd aliter non possumus, stylo saltē & literario munere publicis istis tripudiis & triumphis symbolum nosirum apponere audeamus.

Et quis est omnium tam ingratus, tam ab homine remotus, qui maximo cū gaudio non recogitet, non ab intimis præcordiis agnoscat, quam singulari beneficio te Deus huic Reip. nostræ principem donarit, gente nostra oriundum, indole ad imperii dignitatē expolita, literarum studiis ad eximiam prudentiæ facultatem instructissimum, mansuetudine amabilem, iustitiæ

DEDICATORIA.

stitiæ studio & conscientia laudatissimum,
 summisque regalium virtutum dotibus &
 ornamentis maxime conspicuum? quem
 Deus ab ortu ipso, & ante ortum, tan-
 quam maximo reip. Christianæ compen-
 dio nasciturum, è maximis periculis ere-
 ptum mirabiliter cōseruauit: quem vnus
 hætenus gentis consultissima gubernatio-
 ne ad tantam iam imperii molem sustinendā
 præformauit: quæ pro ea, qua es pietate ac
 fide, vniuersi nobis veræ religionis & Ec-
 clesie, quæ nos Christo deuotos gremio suo
 per tot iam annos tã placidè confouit, nu-
 tritium & parentem promittere possimus?
 Quæ in morte serenissimæ principis Eli-
 zabethæ, beatissimæ in æternum memo-
 riæ, vulnere accepto grauissimo, quod pro-
 genes illa viperarum, factio Hispanica
 & Pontificia, iam olim lethale futurum
 præominata est, audito nomine Iacobi
 regis ita repente conualuit, vt vix sensis-
 se malum suum, certè momento diram

plagam firmiori & certiori valetudine
 commutasse videretur. Et certè quantus
 antè pavor, quæ trepidatio in omnium pe-
 nè cordibus inueterauerat? quæ voces au-
 dita? Haud mihi post Elizabetham
 principem viuere contingat: qui
 motus, quæ seditiones, quanta con-
 fusio, de iure regni quanta conten-
 tio secutura est? Quanquam enim
 exploratissimum erat iure gentium, &
 more patrio, quid hac in causa statuere par-
 esset; tamen silentium illud de regni suc-
 cessione lege decretum dubitatum est quò
 spectaret, & tanquam ex equo Troia-
 no grauissimam calamitatem genti nostræ
 portendere iamdiu & parturire visum
 est. Postquam verò auribus nostris Cel-
 situdinis vestræ nomen insonuit, illa o-
 mnis caligo quæ repentè dissipata est? quæ
 letamur omnes? quàm cupidè arripimus?
 quàm gratulamur nos tantæ felicitati su-
 perstitis? quæta animorum quies & tran-
 quilla

DEDICATORIA.

quilla pax, quòd non alterius in potestatem cõmittimur, quam cuius obsequio cõscii sumus nos legibus omnibus diuinis & humanis obligari? quàm religiosè prouoluimur in genua, & gratias immortales diuinæ misericordiæ debitas ab imo pectore prædicamus? Denique rei nostræ seruit optimè, te rege in Elizabethæ locũ succedente, quod olim de obitu Henrici secundi Matthæus Parisiensis vsurpatum commemorit:

Mira canam, sol occubuit, nox
nulla secuta est.

Quare animis ex repentina illa consternatione redintegratis, iterum accingimur operi nostro, vt Spartam nobis à Deo donatam excolamus: iterum in bellum egredimur, & freti tanti ducis auspiciis denuò machinas admouemus, vt Pontificiarum arcium celsitudines demoliamur, & Antichristianæ perfidiæ muros & propugnacula, quibus ille magnam adhuc Ecclesiæ

EPISTOLA

partem captiuam includit, fortiter & animosè destruamus.

Et eo quidem fortius includit, quo speciosius impietates suas & idololatrias simulato prætectu pietatis & fidei conuestit & tegit. Nam quod hæreticis omnibus & impostoribus consuetum est, ad venenorum pyxides pharmacorum titulos adscribere, Christumque atque Ecclesiam Stentoreo gutture vociferari, nec aliud tamè agere, quàm quod Christo & Ecclesie aduersum & infestum sit; hoc Ecclesie Romanæ familiare cum primis est, quæ mentitis coloribus fefellit per tot secula, & fallit adhuc orbem terrarum: cuius ambrosia non nisi absynthiū est, & ne sit arvenenum; quæ religionem vocabulo prætendit, re destruit; quæ pacem promittit, & cum Deo pacis bellum exercet: quæ dū celū spectare iubet, in Syrtes & Symplegadas inducit, & cōsciētiae naufragio præcipites in infernū impellit: quæ quo cras-

sius

DEDICATORIA.

sus & tetrius per apostasiam degeneravit, eo impensius & laboriosius à parasitis suis ornatur & pingitur, ut purpurissis & cerussis incrustata spōsæ pulchritudinē referre videatur, quæ insana stuprorum licentia & fœditate, squalida iam & effœta meretrix, & planè putrida facta est.

Qua in re gratificatur illi maximè Iesuitarum improbus labor & diligentia, quibus nihil est intentatum, quo ruentem iniquitatis suæ mole Babylonē fulcire quovis modo se posse confidant. Qui ut rem suam quoquo modo promoveant, non contenti religionis officia tractare, in negotia etiam politica petulanter se immittunt, rerum pub. status appēdunt, de principum causis decernunt, regnorum hereditates interuertunt, proditiones & bella meditantur, nihil suspicantibus venena submitunt, ut per illos nec regibus nec hominibus esse liceat, qui nefariis illorum consiliis impedimento sunt. Neque verò

EPISTOLA

obscurum est, quibus illi artibus præoccu-
 pare apud nos popularium suorū animos,
 & ab Anglorum stirpe regia, & iure
 hereditario Maiestatis vestre, stulto præ-
 textu, quali non ita pridem Guisium du-
 cem Gallie regnū applaudentibus illis af-
 fectasse meminimus, in alienigenarum
 admirationem traducere conati sunt. Qui
 postquam intelligunt consilia sua quàm in
 irritum ceciderint, rodunt, opinor, præ in-
 sania linguas suas, atque vtinam in eter-
 num rodant, fruente interim Iacobo
 principe sibi ac suis Angliæ regno, & cælū
 sibi in terris edificante, dum illi scelere &
 perfidia viam sibi muniunt in infernum.
 Nec meliore quidem successu reliquam o-
 peram impēdunt, qua explosas hæreses &
 damnatos superstitionū ritus asserere co-
 nantur, utque illis fidem & autoritatē
 attribuunt, miris subtilitatum & sophi-
 smatum præstigijs ludunt, & dedecus
 suum, ut ille loquitur, ingenio ob-
 umbrant,

Tertul. cōt.
 Maxion.
 lib. 1.

DEDICATORIA.

umbrant. Ceterū agendo quān nihil agant, & ambitioso magnorum voluminū apparatu nonnisi lituras scribant, disputatione ista de Antichristo liquidò constare poterit, quia si causam hanc obtinuerimus, Esse Romanum Pontificem Antichristum, de reliqua controuersia dubitandi non erit relictus locus, quia de Antichristi doctrina, quin perniciosa sit & impia, dubitari non potest. Hanc verò causam stare à nobis, & miserrimas esse collectiunculas illas, quib. Bellarminus præ cæteris maculā Antichristiani nominis à Pōtifice Romano depellere conatur, abūde, opinor, hoc opere nostro demonstratum est.

Quod quale quale est, auspiciis Regni vestri sacrum esto, sanctissime princeps; haud ita dignum fortasse quod in lucem prodeat, sed ita dignū, si patrociniō tantæ Maiestatis non videbitur indignum. Ac cum tibi omnes omnia debemus: tum hoc

EPISTOLA

in primis quicquid est officii, Serenitati vestre præstandū monuit Iohan. de Balio-
 lo nobilissimi quōdam Scotorū regis, cuius
 ad te meritorum insignia cū regni succes-
 sione quodam iure descendunt, gratissima
 memoria; cuius scilicet impendiis bonarū
 literarū studiis innutritus sum, alumnus
 iam pridem Collegij illius, quod ille Oxoniæ
 honorificum, & planè regium suæ in gen-
 tē nostram benevolentia testimonium, re-
 liquit. Cuius gymnasii vestri, & quidem
 præ cæteris vestri, memoriā aliquantulam
 & pios aspectus, utinam dignus sim, ter-
 ræ vermiculus, qui augustissimæ Maie-
 stati vestræ commendare non dubitem, ut
 societas illa literarum subsidiis amplifica-
 ta, magis magisque seruiat emittendis
 operariis in messem dominicam, qui huic
 negotio quod agimus strenuè incumbant,
 & Christo contra Antichristum pugnantem
 suppetias ferant. Interim etsi tibi hac in
 causa, Rex inclytissime, monitore non sit
 opus,

DEDICATORIA.

opus, cui, supra ferè quàm principem credere est, in rebus diuinis exercitatio tota res ista satis perspecta est; dignare tamen ut libellus iste fretus Regio favore fidentius in publicum se offerat, & oblatrante Sophistarum impudentia confirmet scire uolentibus Romanum Pontificem esse uerissimè Antichristum, signiferum illius apostasiae quæ faciem uisibilis Ecclesie sordidare debuit, & gentes omnes in unam perfidia coniurationem complicare.

Te uerò unum illud adhortamur, & flexis genibus obsecramus (Et tamen quorsum currèti calcar addimus?) ut quod cœpisti facere magis magisque facias, ut Ecclesie Romanæ pestes, & contagia depellas, & aduersus tricipitem illum Cerberum, inferni ianitorem, prælia domini depugnes, idque operam des quod à regibus terre se Deus expectare denunciat, postquam Babylonice meretricis iugum excusserint: Odio habebunt illam & desola- Apoc. 17, 16.

EPISTOLA

tam facient, & nudam, & carnes e-
ius comedent, & ipsam igne con-
cremabunt. In quam rem qui te haec-
tenus intelligimus cura omni & cogitatione
tam vehementer incubuisse, dubitare non
possumus quin futurum sit ut primis po-
strema respondeant, & iisdem perpetuo
vestigis insistens, ad Christi honorem di-
ligenter aduigiles & exterminium An-
tichristi, manumque apponas medicam
sanandis languoribus illis, quibus Eccle-
sia nostra de tanta illa superiorum tempo-
rum aegrotatione nondum perfecte conua-
lescens, laborat adhuc aliquantulum &
claudicat, & addi sibi ligaturas & firmi-
tatem plurimum desiderat. Atque eò te
extimulat tanta ista diuinae bonitatis ac-
cessio, quae quò, sublimiorem te constituit,
& Maestate ac potentia cum summis
principibus coequauit, eò magis expectat,
ut magnitudinem hanc atque amplitudi-
nem, ad gloriam nominis sui promouen-
dam

DEDICATORIA.

dam, veramque illius religionem excolenda adhibeas, & constanter promittit affuturam tibi seruienti Iesu Christo manū Iehouæ, ad conterendos hostes omnes externos & domesticos, illosque cornu ferreo comminuendos, qui dixerunt in cordibus suis; Lapidetur & aspiciat in Sion oculus noster, & perturbatos amnes nostros quæstui sibi hoc tempore futuras sperarunt. Mich. 4. II.

Benedictus Deus in secula & in æternum, qui spes eorum ridiculas fecit, & nos è leonum & luporum faucibus eripuit, nec exposuit nos prædæ dentibus eorum. Psal. 124. 6. Atque idem te Deus, Rex illustrissime, perpetuò conseruet, & à clanculariis insidiis & Pontificiorum gente improba defendat, quorum clandestina cōsilia publicos sanguines scribunt; qui rebus sic stantibus malè secum agi putāt, ni beneuoli & amici habeantur, distraetis & collapsis, quod iam spero desperant,

EPISTOLA

capitaliter hostes sunt: qui cecidisse sen-
 tientes expectationem suam, dimidiata
 nunc verba subsibilant, nec audent elo-
 qui cogitationes suas, quibus extetas iam
 buccas s. daturos somniarunt. Disperde
 Deus cogitatus eorum & consilia, quod
 haecenus fecisti: fatiscant & computre-
 scant in foraminibus oculi eorum, dum Ec-
 clesiae tuae calamitatem expectant: corro-
 bora verò quod operatus es in nobis, &
 quem dedisti nobis principem suscipe &
 sustine dextera tua, ut virtutem tuam sibi
 adesse persentiens procedat, quò illum vo-
 cas in fortitudine Iehouae, gladio femur
 accinctus, quo propensos & beneuolos tue-
 atur & protegat, refractarios & rebelles
 comprimat & contrucidet, ut Maestate
 atque opibus, & subditorum obsequio &
 beneuolentia confirmatus, vniuersam hanc
 rempub. summa cum felicitate & pietate
 quamdiutissime administret, quousque
 fortunis & annis satiatus astra conscen-
 dat,

DEDICATORIA.

dat, ibi cum Christo regnaturus in æternum. A M E N.

Maiestati vestræ addictissimus
& obsequentissimus,

ROB. ABBATVS.



CARMEN DE OBITU SERENISSIMÆ PRINCIPIS ELIZABETHÆ, & felicissima substitutione IACOBI Regis.

Prosopopœia lugentis Angliæ, & Serenissimam Principem ELIZABETHAM morituram compellantis.

Heu: moreris? moreris? quid de me fiet Eliza?
Cuius in exitium iam circumfusa Leonum
Turba instat, veteresque iras, & fœdera spreta
Vlcisci parat Hispanis, coniunctaque voto
Sacrilego Papistarum gens improba tandem
Conceptas diro iaculatur pectore flammæ?
Heu moreris? regnumque tuum sine rege relinquis?
Disiectumque gregem nullo pastore luporum
Dentibus exponis, matres ut funera natos
Optent esse suos, & se; trepidaque perosa
Luce sibi tenebras querant, postquam omnia cernunt
Sanguinibus conspersa meis iuuenumque senumque,
Et sua crudeles seuire in viscera fratres.
Heu: moreris? quid iam? quid de me fiet Eliza?

Serenissimæ Principis ELIZABETHÆ respō-
sio ad suam Angliam.

Quid trepidas, gens chara Deo? quid luctibus istis
Est opus? & quare morituram in pace moraris?

Post septem annorum decades, iustissima vitæ
Tempora, quando ultra labor est vita ipsa dolorque,
Tu me maturam cælo constringier ultra
Terrenis vinclis regnique laboribus optas?
Quin mitte vt terram pertæsa fatisque potita
Nomine Reginae, cælestia regna capeffam.
At tu quid mentem vanis terroribus imples?
Quidve lupos narras, tumidosque furore leones?
Haud frustra expansas toties ad sydera nostras
Crede manus: fusasque preces in Numinis aures.
Nec regnum sine Rege putes, quem stemmate sacro
Anglorum, & nostro tam clarum sanguine monstrat
Vna maris clausura; & gens contermina fundo,
Lingua eadem, quam nunc regnum concurrere in vnum
Qua pulchrū est? quantumq; addit tibi pōdus honoris?
Illum ergo venerare Deo miserante creatum
(Engerit impressum rubicunda pelle leonem)
Nobilitate, armis, doctrina, Relligione,
Consilio insignem, regisque hoc nomine dignum.
Qui tantam imperii molem, nunc impare nostra
Ætate hac, animo forti validisque lacertis
Sustentare queat, placideque hos ferre labores.
Ille leonum vngues franget, dentesque luporum,
Vipereumque genus, reptantesque orbibus angues
Opprimet, & pacem genti firmabit optimam.
Ac veluti magno in populo cum concita feruet
Seditio, & passim vulgus parat arma, furensque
Discursat, volitantque enses in vulnera crebri,
Et sibi quisque timet, sua iam discrimina pendit,
Conspicuum bonitate virum fors si qua repente
Obrulerit, mox accurrunt, comiterque salutant;
Et verba illius suspensis auribus omnes
Arripiunt, repetuntque statim sua limina læti,
Et sibi quisque canit, sua iam tuta omnia gaudet.
Haud aliter rex ille tuus perplexa tuorum
Tempora, que infandas cædes, violenta latronum
Agmina promittunt, hostilesque vndique pugnas,
Et dubias hominum mentes formidine tristi
Conficiunt, dum nemo sibi sat saluus habetur,
Et mortem iam quisque sibi meditatur adesse;
Ille, inquam, sedata dabit, cum nomine passim

Audito applaudent omnes, & voce sonabunt,
Vivat rex, ô rex, *Henrici* sacra propago,
Vivè diu, adiunctis animis ad vota precantes;
Nec quisquam audebit mutire aut hiscere contra.
O me beatum illo hærede principem!
O te beatam Angliam tanto principe!



AD SERENISSIMUM REGEM
IACOBUM GRATVLATIO.

Macte ergò virtute tua, rex *Inclyte*, perge
Felix esse tibi que tuisque ut secula nobis
Aurea decurrant, & te *Saturnia* regna
Concelebrent, atque *Astræam* te rege morantem
In terris tota hæc cantet nunc *Insula*, vestris
Auspiciis pietate vigens & religionè
Confirmata, ut propitius tibi rector *Olympi*
Cælo fœcundos imbres demittat ab alto,
Et creet aspectus pratisque satisque benignos;
Cunctorum ut nobis accrescat copia rerum,
Sitque *Deus* nobis, qui iam *Deus* esse probatur.
O pater, ô hominum custos, hæc otia nobis
Longa dato, Regemq; tuum tua dextera saluum
Protegat, insidiasque omnes, & sanguine mista
Concilia aetherum in carnes & viscera cudat.
Quiq; animos hominû fingis simul atq; refingis,
Flecte animos ad te nostros, ut pectore puro
Grates diuino referamus munere dignas,
Et vitæ innocuæ castæque litamine nostra

Assiduè pietas cœlestes imbuat aras.

*Viue IACOBÈ diu felix, & pace triumphas,
Perpetuòque tibi deuinctos esse tuorum*

Fac animos, gratusque Deo super omnia viue.

*Tuq; HENRICE, spei nostra pars altera, viue
Quæ Reges didicisse decet, tu discè, patremque
Fer oculis, & cura illum virtute referre.*

*Quemq; tibi scripsit monumentum & pignus a-
moris*

Perpetuum ne te pigeat versare magistrum.

*ANNA Deo dilecta nimis quàm prædicat orbis
Tenatu, te coniugio, te prole beatam.*

*ANNA venis, nobis gratissima, pacis oliua,
Pacem enixa utero nostram, tibi mille salutes
Optamus, tibi sint de aduentu gaudia mille.*

ANTI-



ANTICHRISTI DEMONSTRATIO

CONTRA FABULAS PONTIFICIAS, & ineptam ROBERTI BELLARMINI de Antichristo disputationem.

CAP. I.

Judicium de origine & progressu errorum de Antichristo: cuius veram notionem ostenditur non ex patribus sed ex scripturis explicari debere.

ANTICHRISTI totam historiam Papistæ nobili stratagemate vertunt in fabulam, ut ad umbras & spectra quedam inania intenti homines dum hostem è longinquo falsum expectant, à vero Antichristo intus in Ecclesia per hypocrisin regnante inscientes occupentur. Antichristi vocabulum intelligunt formidabile omnibus & invisum esse. Nihil se facturos putant nisi suspicionem omnem exosi nominis astute depellant. Id ergo agunt conatu quo possunt omni & ultimo, sed casto & irritato, & dum quasi in vndis periclitantes om-

A mnem

innem virgulam arripiunt qua se vel ad momentum subleuent, frigidas nescio quas ineptias & somnia proponunt, quibus constare volunt nonnisi per calumniam Antichristi nomen ad Romanum Pontificem accommodari. Qua in re Satan illis operam suam egregiè nauavit, qui cum intelligeret ab initio maximam sibi ab Antichristo ad perdendas animas opportunitatem suppetituram, nihil egit studiosius quàm vt illum celaret, vt quem notum horrerent homines & refugerent, eundem ignotum sequerentur in præceptis, & consortes facti scelerum illius communem cum illo perditionem sortirentur. Id vt tutiùs ageret & certiùs, singulari fraude falsam Antichristi notionem informavit, & mentitis coloribus callidè depinxit, vt verum illum Antichristum, orbis & Ecclesiæ pestem, minimè suspectum haberent homines, postquam nonnisi putatum hunc & imaginarium Antichristum, anile terriculamentum, merum Satanæ ludibrium, expectare didicissent. Atque huius fraudis administratos habuit hæreticos & impostores illos qui ab ipsis vsque Apostolorum temporibus corrumpere fidem & virginalem Ecclesiæ pudicitiam expugnare tentarunt. Qui ut fæliciùs spargerent errores suos & venena prauorum dogmatum latissimè propagarent, nihil consultius aut compendiosius esse iudicarunt, quàm si abstrusam & à communica-
 ptu remotam scientiam & occultæ sapientiæ
profunditatem, ostentando, magnam sibi a-
 pud popularem inscitiam opinionem & au-
 thori-

a Apoc. 2.

24.

thoritatem compararent. Et certè nescio quo errore plus valet plerumque apud vulgus hominum superba loquacitas de rebus non intellectis futiliter & ineptè deblaterans, quàm sobria pietatis exhortatio & *b sermo ille sanus qui* *b Tit. 2.8.* *reprehendi non potest*, quo vno ratio omnis animæ secundùm Deum ædificandæ continetur. Vilet qui de fidei ratione, communibusque vitæ officiis piè instruit; ille magnus est & eruditus qui de angelis & cœlo Empyreo philosophatur, attrita fronte docens quod ipse nescit, & ex aliorum inscitia sibi scientiæ laudem impudenter vsurpans. *c Nihil tam facile*, ait *c Hieron.* *Hieronimus, quàm vilem plebeculam & indo-* *epist. ad* *Etiam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ* *Nepotianum.* *quicquid non intelligit, plus miratur.* Quare vanitatem hanc & humani ingenii leuitatem inimicus ille probè perspectam habens, huc aptavit conatus suos, & operarios dolosos submitit qui prurientes aures stulta grandiloquentia titillarent, & mirabiles abditarum rerum sensus promittendo curiosas mentes tanquam fascino quodam subuersas occuparent. Traditionem occultam & non nisi perfectis competentem præ se ferunt: Paracletos & enthusiasmos & afflatus atque illuminationes cœlestes mentiuntur: de parabolis & allegoriis inaudita quædam mysteria interpretantur: peregrinis & ampullatis nominibus ludunt; neque quicquam omittunt quo possint, *d hæ-* *d Bernar.* *reticorum omnium semper intentio fuit, captare* *in Cant.* *gloriam de singularitate scientiæ. Ac de An-* *ser. 65.* *tichristo quidem materia erat lasciuiantibus*

ingeniis aptissima, cuius nomen postquam in Ecclesia percrebuisse, cœptum est inquiri quis ille & qualis futurus; vbi & quando venturus; quid & quibus & quousq; factururus esset, & curiosa temeritas quod erat in Scripturis obscurius & Prophetiæ tenebris inuolutum, euolui sibi voluit & explicari, vt tanquam sub oculis Antichristum haberet, & illum clara luce conspicuum intueretur. Quare ad hanc petulantiam hæreticorum impostura se accommodans & arborem interdictæ adhuc scientiæ maximo cum fructu gustandam adpromittens, commentitium quendam Antichristum è somniis suis & Iudæorum fabulis edolauit, & insolentissima temeritate certissima dogmata de rebus incertissimis, quia longè post futuris, pronunciare ausa est. Ac ne prorsus autoritate carere videretur, sacrarum Scripturarum testimonia quædam detorsit ad ineptias suas, vt humanas præsumptiones pro diuinis oraculis habendas esse persuaderet. Hinc illa manarunt, Antichristum fore Iudæum & nasciturum ex tribu Dan: templum Hierosolymis instauraturum; ibi sessurum; ibi illum Iudæos veneraturos; deinde prælium cum gentibus facturum; subiugaturum sibi Orbem terrarum, & hæc omnia tribus annis & dimidio confecturum.

2. Has fabulas & alias nonnullas quas *Bel-larminus* perridiculus sophista demonstrationum nomine proponit, Papias vt videtur primus arripuit, qui miserrimo errore plus traditione viuæ vocis quàm consignatis Scripturarum,

rum tabulis acquiescens, malefidis Apostolicorum virorum sectatoribus vltro se fallendū præbuit: qui non attendens subornatos esse iam tum à Satana mendaces quosdam & perfidos qui Apostolorum nomina figmentis suis prætexerent, in eo totus erat *ubi quisquam veniret qui seniorum affectatorem se diceret, ut verba seniorum exquireret, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, vel alius quisquam ex discipulis Domini, quidque Aristion & senior Ioannes discipuli Domini dixerint.* Quibus dum fidem adhibuit & porro exiguo iudicio præditus Apostolicas disputationes perperam accepit, minùs rectè considerans quæ ab illis per hypodigmata & figuratè dicta sunt, multas fabulas & peregrinas doctrinas in Ecclesiam invexit, nec ipse modò erravit, ut notat *Eusebius*, sed quamplurimis post se Ecclesiasticis viris ad antiquitatem eius respicientibus errandi occasionem suppeditavit. Illum secutus est *Irenæus*, & eius autoritate permotus *Chiliasarum* hæresin è *Cerinthi* fontibus hauritam amplexus est, cum qua dum Iudaizat, & *Apocalypsin* atque alias Scripturæ sententias, ut testatur *Hieronimus*, ad literam exponit, non dubium est multas de Antichristo fabulas, quas simul imbibit *Irenæus*, fuisse coniunctas. Cæterum de mille annis terrenæ fœlicitatis post resurrectionem futuris, repertus est *Dionysius Alexandrinus* qui reprehenderet *Irenæum*, & libro aduersus illum eleganter scripto figmentum illud irridere; de Antichristo verò, quia incertiora erant omnia, haud facilè reper-

e. Euseb. hist. li. 3. ca. 36.

f. Hieron. in præfat. lib. 18. in Esaiam.

g Gennad-
ni. Catal.
illust. viro-
rum.

h Ibid.

tus est, quantum quidem apparet, qui somniis illis contraeundum putaret. Vnus apud *Gennadium* commemoratur *Iacobus* sub *Maximino* confessor, Episcopus *Nisibenus* sub imperio *Constantini*, qui & diuinis Scripturis compressit ora eorum, qui presumptuosa suspitione de aduentu *Antichristi* vel *Domini nostri* inaniter philosophati sunt. Et illa *Chiliastarum* phantasia, etsi erat absurda, & doctissime refutata, non caruit tamen assertoribus suis, & *Apollinarium* pro *Irenaeo* respondentem, non solum suae sectae homines, ^b sed & nostrorum, ait *Hieronimus*, plurima sequitur multitudo. Proinde quae de *Antichristo* conficta sunt, quia manifesta in illis fidei praeruaricatio non apparuit, nihil mirum est infedisse tenacius & apud posteros tanquam verissima praualuisse, quae maiorum & quidem tanti nominis virorum auctoritate suscepta & firmata sunt.

3 Enimvero apud antiquos superstitio illa plus satis invaluit, qua piaculum esse credebatur ab illorum instituto & sententia recedere qui prius in Ecclesia celebres fuissent, qui quidem quò propius aberant à prima fidei propagine, eò liquidius & accepisse vera & sensisse videri possent, & tamen dum toti ab uberibus Ecclesiae non pendent, & incauta credulitate fucata sapientiae specie plus æquo mouentur, pro vero fidei lacte suxerunt interdum errorem, & multa tradiderunt quae ne Pontificiis ipsis maximis errorum veterum propugnatoribus, satis probata sunt. Atque haec magna corruptelae occasio fuit dum quae initio à magnis

magnis viris temerè dictata sunt, eorum auctoritate tanquam pronunciata Catholica vel suscepta prorsus apud posteros, vel certè haud facile improbata sunt. Hieronymus etsi probè sciens Chiliaisticum illud delirium absonum quiddam & à Scripturis alienum prædicasse, tamen dum suorum temporum superstitioni nimium concedit, manifestam hæresin quàm timidè, quàm verecundè redarguit? ¹ *Quali- i Hieron. in*
cet non sequamur, inquit, *tamen damnare non* *Iren. lib. 4.*
possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum *cap. 19.*
& martyres ista dixerunt. Et ubi de Victorini explanatione in Apocalypsin sententiam rogatur: ^k *Periculosum est*, inquit, *& obtrectatorum* *k Hieron. e-*
lattratibus patens de egregii viri opusculis iudica- *pist. ad A-*
re. Nam & anterior Papias Hierapolites episco- *natol. apud*
pus, & Nepos in Aegypti partibus episcopus de *Sext. Se-*
mille annorum regno, ita ut Victorinus, senserunt. *nen. biblio-*
sanct. lib. 4.
 Ita præpostera vetustatis opinio, & magnorum *in Victori-*
 nominum admiratio, libertatem iudicandi su- *no.*
 stulit, ut invidiæ calumnia non vacaret, qui e-
 gregiorum virorum sententias, etiam vanissimas & falsissimas improbaret. Hac ratione Pelagiana labes vires & incrementa maxima cepit. ^l *Plures sunt in Ecclesia*, inquit Hilarius, ^l *Hilar. E-*
qui auctoritate nominum in sententia tenentur, *pist. apud*
aut ad sententiam transferuntur. *August. to.*
 Quare Pe- ^{7.}
 lagium haud facilè repudiarunt, ^m *quòd re-* ^m *Prosper.*
tractatis priorum de hac re opinionibus, *epist. ibid.*
 ait Pro-
 sper, penè omnium par & una pro dogmate il-
 lius sententiam invenitur. Quare Augusti-
 nus cum hæreticis confligens, & causas ad vi-
 vum resicans, ubi antiquiorum patrum præ-

n August.
con. Cres-
con. lib. 2.
cap. 31.

o Cont. Pe-
lag. & Ce-
lest. l. 1. ca.
43.
p Denat.
& grat.
cap. 61.

iudicio gravatur, disertissimas aduersus illo-
rum testimonia exceptiones nonnunquam
interponit, vt Scripturis solis quæstionem deci-
dat. Vbi Cyprianum Donatistæ afferunt, ⁿ Nos
nullam, inquit, Cypriano facimus iniuriam cum
eius quaslibet literas à canonica diuinarum scri-
pturarum authoritate distinguimus. Vbi Am-
brosium Pelagiani opponunt, ^o Quaslibet san-
ctus & doctus vir, nequaquam tamen authoritati
canonicæ Scripturæ comparandus. Et de omni-
bus: ^p Ego, inquit, in huiusmodi quorumlibet ho-
minum scriptis liber sum, quia solis canonicis de-
beo sine vlla recusatione consensum. Intellexit vir
sanctissimus in patrum scriptis iudicio ac dele-
ctu opus esse, nec tutò ingredi posse, qui super-
stitiosa leuitate mox admirantur & probant
quicquid in vetustis chartis impressum, & anti-
quorum nominum celebritate commenda-
tum est.

4 Porrò ad superstitionem desperatio quo-
que accessit, quæ fregit animos & intercepit
conatus illos quibus assurgere posteriores qui-
que ad maiora debuerant, de egregiorum vi-
rorum lucubrationibus & scriptis non iner-
tiam amplexi, sed ad maiorem iudicandi di-
ligentiam & industriam excitati. Atqui ple-
risque longè alius erat animus, quo eos quibus
se adiunxerant ita putarunt absoluisse omnia,
ut nihil sibi vltra perquirendum iudicarent;
nihil putarent certius à quoquam aut sanius
excogitari potuisse. Itaq; desperatio negligen-
tiam peperit, qua ⁹ multos qui acie ingeniorum
satis erant instructi piguit in fulgorem verita-

Ludou.
Viues de
causis
corrupt. ar-
tium.

*tis intentè aspicere; eos qui dicebantur aspexisse
 secuti sunt. Inde errores priorum traditi ad po-
 steros & confirmati, dum tantis de rebus malunt
 aliis posteriores credere, quàm ipsi iudicare. Ori-
 genis illæ speculationes & allegoriæ quanta in-
 genia cum quanto fidei dispendio fascinarunt,
 quasi in illo vno spiritus sanctus vim omnem
 & opes suas explicuisset, & frustra deinceps
 cuiquam alteri in sacris scripturis enarrandis
 elaborandum esset? Cyprianus dum Tertullia-
 num subinde ^r magistrum appellat, & iudicio
 illius plus nititur quàm suo, ab illo fragmenta
 quædam Montani transcribit, & satisfactioni-
 bus ac ceremoniis ab illo confictis plùs æquo
 benignus est. Bernardi auditores malè ha-
 buit, quòd ^s post patres novus expositor lectio-
 nem quandã Evangelicam interpretari præsu-
 meret, & ea causa multorum fratrum indigna-
 tioni se obnoxium ostendit. Atq; huiusmodi
 Momos & Aristarchos, & Grunnios quampluri-
 mos Hieronymus expertus est, ^t qui illũ in ver-
 tendis sacris libris fructuosissimè laborantem
 vellicarunt, quòd corrigi non posse putarent
 quæ superiorum temporum opera & studio
 prodiissent. Neq; verò Augustinus nihil hac in
 parte peccavit, qui illum ab opere tam necessa-
 rio deterruit quoad potuit, quòd ^u nihil in He-
 brais codicibus inueniri putaret, quod tot inter-
 pretes illius lingue peritissimos fugere posset. Et aut
 obscura sunt, inquit, aut manifesta. Si obscura, te
 quoque in eis falli potuisse non immeritò creditur.
 Si manifesta, superfluum est te voluisse explanare
 quod illos latere nõ potuit. Sed illum vir doctissi-*

r Hieron. in
 catal.
 script. ec-
 cles.

s Bernar.
 super Mis-
 sus est hom.
 4. in fine.

t Hieron.
 prefat. in
 Iob & E-
 saiam.

u August.
 Hieronymo
 epist. 8. &
 10.

u Hierony.
apud Au-
gust. epist.
11.

mus dilemmate suo reuincit. ^u Respondeat mihi prudentia tua, quare tu post tantos & tales interpretes in explanatione Psalmorum diuersa senseris. Si enim obscuri sunt Psalmi, te quoque in iis falli potuisse credendum est. Si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur, ac per hoc utroque modo superflua erit interpretatio tua: & hac lege post priores nullus loqui audebit, & quodcumque alius occupauerit, alius de eo scribendi non habebit licentiam. Atqui verò industriæ nunquam deest, quod post summos authores aut emendet aut addat, aut si non rebus ipsis, saltem luce rerum & varia tractatione gratum sit. Quòd ni posteriora quæque tempora in superiorum ingeniis & laboribus nimium acquieuisent, haud dubium est quin multò fœliciores sacrarum literarum tractatores & interpretes proferre potuissent. Quod & nostro seculo factum videmus, quo Pontificii ipsi fatentur, ^x plurima in Mosi libris & hymnis Davidicis prophetarumque vaticiniis esse doctorum hominum diligentia multo accuratiùs quàm usquam antea explicata.

x Andrad.
in defens.
fidei. Tri-
den. lib. 2.

§ Ceterum quæ diximus omnia in hoc Antichristi negotio, ut in vna re aliqua, maximè contigerunt. Nam si oculos vel paululum aperuissent homines, & suam quamcumque iudicandi facultatem adhibuissent, rescissent optimè multa quæ ab antiquissimis, scriptoribus de Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta, ut illa constare posset non nisi ab impostoribus & hæreticis inuenta esse, aut certè non nisi per summam

mam negligentiam tantis ingeniis obrepere potuisse. Quin & qui alioqui perspicaces & nasuti videntur, hinc tanquam euulsis oculis plerunque cæcutiunt, & cum *Homero* dormitant, & ipsi sibi non constant, & alii aliorum sententias prorsus euertunt. Receptum est antiquitus, Antichristum nasciturum ex Iudæis & de tribu *Dan*. Quid ita verò? Quia tribus illa apud *Ioannem* in Apocalypsi non commemoratur ubi consignantur electi ex omnibus tribus Israelis. Atqui neq; tribus *Ephraim* ibi memoratur: quæ minùs Antichristus de tribu *Ephraim* quàm de tribu *Dan*? Minimè verò, quia de illo quoque *Iacob* vaticinatus est: *⁊ fiat Dan y Gen. 49. coluber in via, cerastes in semita, &c. & Ieremias 17. ⁊ A Dan auditus est fremitus equorum eius, &c. ⁊ Iere. 8. 16.* Ita quidem *Irenæus* & tota patrum gens; sed longè aliud & certiùs quidem *Hieronimo* visum est, locum ^a alterum de *Sampson*, ^b alterum de *Nabuchodonosoris* in Iudæam aduentu intelligi oportere. Quod ita certum est, ut *Belarminum* ipsum planè pudeat antiquæ vanitatis, & ^c agnoscat locis illis convinci non posse, quod tamen veteribus tanto consensu visum est. In quo erratum esse reliqui quoque patres facillimè animadvertissent, si iudicio suo magis quàm *Irenæi* fide statuere voluissent. Porrò *Hieronimum* fefellit traditio illa, quòd Antichristus è Iudæis futurus esset, qui tamen quod apud reliquos consecutaneum erat & coniunctum, sessurum illum Hierosolymis in templo Iudæorum, improbavit, & in Ecclesia sessurum interpretatus est: quod si attentè

^a Hieron.

quæst. Heb.

in Genesim

^b Idem in

Ierem. lib. 2

cap. 8.

^c Cap. 12.

de Anti-

christo.

attentè

attentè cogitasset, & illud quoque alterum de
 Iudæorum Antichristo protinus abnuisset. Sed
 in eo plùs & negligentius erratum est, quòd An-
 tichristi regnū tribus annis & dimidio præcisè
 determinant, & numerum dierum apud Joa-
 nem decretum esse profitentur, ^d dies mille du-
 centos & sexaginta, & tamen apud Daniele
 de Antichristo quædam intelligunt quæ cum
 isto calculo convenire non possunt. ^e *Vsque*
quo visio, & iuge sacrificium & sanctuarium &
fortitudo conculcabitur? Et dixit ei, Vsque ad ve-
speram & mane dies bis mille trecentos. ^f *Hunc*
locum pleriq; nostrorum, ait Hieronymus, ad
Antichristum referunt. Itane vero? Atqui dies
bis mille trecenti sex annos & amplius effi-
ciunt. Vbi ergò illud, Antichristum nonnisi
tres annos & dimidium, dies mille ducentos &
sexaginta regnaturum? Et Antichristo quoque
attribuunt quod capite vltimo Danielis habea-
tur, & A tempore cum ablatum fuerit iuge sacri-
ficium & posita fuerit abhominatio in desolatio-
nem, dies mille ducenti & nonaginta. Qui id ve-
rò? cum Antichristum credendum sit dies
nonnisi mille ducentos & sexaginta substitu-
rum. Quæ ita nullo modo conciliari possunt,
vt ecstasin passi videantur qui hæc tam dissen-
tientia cogunt in vnum, & omnia simul Anti-
christi causæ seruire compellunt. Quanquam
 & illud quoque nonnihil est quòd Antichri-
 sti tempus ita definiunt, & tamen ea narrant de
 regno Iudæorum adipiscendo, de templo Hie-
 rosolymitano ædificando, de orbe terrarum
 occupando, de Christi fide & cultu per totum
 orbem

d. Apoc. 11. 3

e. Dan. 8. 13.

f. Hieron. in
Dan. cap. 8.g. Dan. 12.
11.

orbem subvertendo, quæ nemo sanus vnquam credidisset in illis temporum angustiis expediri potuisse. Denique illud *Hilarii* vbi de Antichristo suscipiendo loquitur, ^b *Proprius iste Iudææ erit error*, quis existimet homini verba sua cogitanti excidere potuisse, cum tam apertè scriptura denunciet facturum Antichristum ^{*} *ut bibant omnes gentes de vino iræ fornicationis eius, & errent in veneficiis illius?* Plura sunt eiusmodi apud veteres à primis ferè temporibus accepta, quæ si attentè posteri animadvertissent, & ad seuerioris iudicii stateram appendissent, castigassent ipsi libros suos, & lōgè alias nobis de Antichristo sententias prodidissent.

6 Enimuerò nihil illis de Antichristo certum, nihil exploratum fuisse, palam ostendunt variæ & repugnantes sententiæ quas siue falsas confingunt, siue veras coniectant, dum alii aliorum traditionibus acquiescere non possunt. De numero nominis Antichristi quot ineptiæ prodierunt, dum suo quisque cerebro indulget, de fontibus ipsis mysterii rationem haurire non curat? De Antichristi sede quàm variè locuti sunt? ^k *In templo Hierosolymitano sessurum*, ait *Cyrillus*, non in Ecclesia: *Oecumenius* verò, ^l *in Ecclesia, non in Templo Hierosolymitano*: *Chrysostronus*, ^m *non solum in Templo Hierosolymitano, sed etiã in Ecclesiis*. Et tamen alibi ⁿ *dubitabilem esse ait interpretationem illam de Templo Hierosolymitano, quemadmodum etiam Augustino* ^o *incertum est, vtrum in Templo illo an in Ecclesia dicendū sit*. De Antichristi quoq; natura prodigia locuti sunt. ^p Alii *Nero-*

h Hilar. in Mat. can. 25.

** Apoc. 18. 3 23.*

i Apoc. 13. 17.

k Cyril.

Hierosol.

catech. 15.

l Oecumen.

in 2 Thess.

cap. 2.

m Chrysostr.

in 2. Thess.

hom. 3.

n Oper. imper. in Mat.

hom. 49.

o August.

de civ. Dei,

lib. 20. cap.

19.

p August.

de civi Dei,

lib. 20. cap.

19.

q Hieron.
in Dan. ca.
7.
r Hippol. o-
rat. de con-
summat.
mundi.

f Hieron. in
Dan. cap. 7
r Apoc. 11. 3.

Neronem esse putarunt denuò in orbem postli-
minio rediturum: alii putarunt^r diabolum vel
dæmonem futurum, quod sensit ^r *Hippolytus*
quidam, non antiquus ille Portuensis Episco-
pus, sed alter quidam supposititius, heri natus
ex incubo, qui quia puduit illum nominis sui,
deponenda censuit oua sua in nido alieno. Alii
porrò, in quibus est ^r *Hieronimus*, etsi non dia-
bolum putarunt, in eo tamen diabolum *corpo-*
raliter habitaturum statuerunt. Duos porrò ^r te-
stes quos aduersus Antichristum decertaturos
vulgò persuasum est: alii de duobus Testamen-
tis exponunt, vt postea patebit: alii *Enoch* & *E-*
liam intelligunt: alii cum *Elia* *Mosen* coniun-
gunt; alii *Jeremiã*: *Hieronimus* Iudaizare putat,
qui ad literam interpretantur. In tanta opinio-
num varietate, in tam distractis sententiis, quis
Antichristi certam notitiam expectet, vbi qui-
sibi plurimorũ iudicio standũ arbitretur, nihil
reperiat nisi quod unus aliquis initio dixit, quẽ
reliqui postea animi causa magis quàm certa
ratione, magistrum & authorem secuti sunt?

7 Quanquam in hac incertitudine, dum
aduentum Antichristi meditantur, & conie-
cturas quicq; suas exponunt, incidunt interdum
in aliqua, quæ si comparentur cum Scripturis,
certam Antichristi rationem informant, vt de
illo amplius dubitari non possit. Nam quod ^r
Babylonem apud *Ioannem* Romanæ vrbis fi-
guram portare aiunt; quòd Antichristum ^x sub
occasu Romani imperii venturum; quòd impe-
raturum ^y decem illis regibus quibus impe-
rium illud Romanum dispertiendũ esset, quòd
qui-

u Tertul.
contra Iu-
daos.

x Idem de
resur. car-
nis.

y Hieron. in
Dan. cap. 7

quidam & in Ecclesia sessurum affirmant; quòd illum Irenæus ^a Latinum fore verisimili coniectura suspicatur: hæc si accepta de fontibus suis, & collata inter se ad rerum euentus accommodentur, insignem illum aduersarium ita conspicuum reddunt, vt de illo non minùs constet, nisi sponte nostra cæci esse velimus, quàm solem constat meridie lucere. Quæ verò definitionibus istis de fermento hæreticorum, & privatis hominum opinionibus admista sunt, ea non dubito quin ad ^b efficaciam illusionis pertinere debuerint, vt qui sacris oraculis non contenti, fidem sibi de placitis humanis petendam iudicarent, haberent in Patrum scriptis ad quod impingerent, & in incredulitate sua duriores & obstinaciores efficerentur. Nam quod rectè Tertullianus de Scripruris; ^c *Non periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent, cum legam oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt,* hoc multò magis de Patrum scriptis affirmare audeamus, sic esse Dei voluntate disposita, ut quibus Christum è Scripturis callere non sufficit, è Patribus fallantur de Antichristo, & ei se submittant quem Scripturæ describunt, dum non alium illum futurum credunt quàm à Patribus acceperunt. Quod in aliis quoq; nonnullis fidei capitibus contigisse nõ dubitamus, cum tam multa videamus apud Patres quæ superstitioni aditum aperiunt, & patrocinari videtur erroribus illis, quibus Antichristus orbem terrarum sibi subiectum & captivum

^z August. de civ. Dei, lib. 20 cap. 19. a Iren. lib. 5.

^b 2. Thess. 2. 11.

^c Tertul. de præscr. aduersus hæret.

vum tenere debuit. Nam tantum illum sedu-
ctorem instrumenta seductionis habere oportuit, nec veram fidem excludere valere, nisi in promptu ratio esset, qua mendaciis suis speciem veritatis & colorem afferre posset. Quare quod divinis oraculis satis commodè assequi non potuit, humanis erroribus obtinere voluit, ut quæ veritate non posset, præscriptione temporis, & antiqua saltem consuetudine commendaret. Nam id imprimis Satanæ curæ fuit, ut ab initio fundamenta regni sui substrueret, & corruptelis suis gratiam & auctoritatem conciliaret. Quod ita calidè molitus est, ut Patribus ipsis nonnunquam fucum faceret, & specie quadam probabilitatis induceret ad ea probanda, quæ post illorum auctoritate ad maximam pietatis iniuriam in Ecclesia retenta sunt. Qui etsi veram fidei doctrinam scriptis suis luculentissimè complexi sunt, & arma nobis abundè suppeditant quibus apostatarum & hæreticorum imposturas oppugnare possimus: tamen dum zizania quædam interserunt, & traditiones ac præsumptiones suas & alienas cum sanctissima Dei veritate coniungunt, arenas & calces præparasse videntur, quibus perfidiæ muros construeret Antichristus, & Babylonem suam ædificaret, qua Ecclesiam Christi ferreo tyrannidis suæ sceptro subiugaret.

8 Quare ne vlla nos antiquitatis fallat opinio, præmonendos curavit spiritus sanctus, ^d
mysterium iniquitatis olim sub Apostolis operari cæpisse, & ^e iam tum Antichristi spiritum in mundo fuisse, ut falsa esse posse quæ videntur

tur

tur antiquissima, ac proinde de antiquis iudicium habendum esse sciamus, & quod Apostolicæ scripturæ testimonium non habet, etsi vetustate cum Apostolis certare posse videatur, non tamen ab Apostolis, sed à mysterio iniquitatis & Antichristi spiritu profectum esse non dubitemus. Id quod vel vno exemplo moneri possumus, quo Satan viventibus adhuc Apostolis perniciosam cœlibatus opinionem, horribilem postea ecclesiæ pestem, & prodigiôsæ turpitudinis occasionem insinuare conatus est. Nam *f* presbyter quidam in Asia librum quendam tum edidit quem inscripsit *Periodum Pauli & Teclæ*, in quo finxit Paulum Iconii prædicantem de virginitate, Teclam nobilem puellam in concione præsentem tantum permouisse, vt nuptias quibus desponsata esset, recusaret, & voto se virginitatis obstringeret, & ob id ad iudicem raptam & ab illo damnatam nec ignibus cremari, nec à bestiis occidi potuisse, & postea comitem Apostolicæ peregrinationis extitisse. Ac presbyter iste conuictus apud Ioannem Apostolum quòd author esset libri, & confessus se hoc amore Pauli fecisse, loco deiectus est, & liber eius damnatus, atque inter fabulosa & Apocrypha computatus est. Quæ tamen fabula postea quantos viros fefellit, Cyprianum, Ambrosium, Epiphanium, Augustinum, qui pro vera historia librum illum susceperunt, eoque ad supersticiosam virginitatis admirationem vehementer allecti sunt. Ita maturè hostis ille rem suam egit, & Apostolicis nominibus pesti-

*f Tertul.**de bapti-**simo Hiero-**nym in ca-**tal. script.**eccl. in Lu-**ca.*

fera consilia callidè ornauit, vt sanctissimorum virorum plus satis credula simplicitate, dum fraudes & dolores eius haud facilè suspicantur, faciliùs abuti posset. Et vidit ille quidem haud magni momenti ad fraudem esse potuisse, si hæreticorum tantummodò exosa nomina occupasset; ac proinde vt efficacior esset illusio, in illorum se chartas & commentarios clanculum insinuauit, quorum, quia in Ecclesia insignes habebantur, maior apud posteros authoritas & existimatio futura esset. Itaque offudit illis tenebras interdum, & hîc illic astu circumuentos de via deduxit, vt ex illorum erratis posterior ætas ruinæ grauioris & manifestæ apostasiæ occasionem habere posset. Qui tamen dum simplici errore, non maligna pertinacia de via discedunt, & quanquam stipulas & ligna super ædificant pro auro & argento, subinde ad fundamentum respiciunt & in eo consistunt, jacturam operis sui faciunt, quod ignis verbi Dei absurnit & destruit, ipso verò salui facti sunt. Itaque quod de Cypriano & patribus Africanis dixit olim Vincentius Lyrinensis contra Donatistas, idem nobis de reliquis contra Papistas vsurpare licet: & *Orerum mira conuersio: authores eiusdem opinionis catholici, consecutores verò hæretici iudicantur: absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum filii regni erunt, assertores verò gehenna suscipiet.* Itaque nihil mouemur quòd stipulas & paleas suas Pontificii de patrum segete creuisse contendunt, neque mox Antichristi aliquid esse desinet, quod à patribus

*g Vincent.
Lyrinens.
aduersus
hæres.*

tribus quibusdam receptum affirmatur, quia in illo Apostasiæ seminario quo patrum quoque agri nonnihil conspersi sunt, non Antichristum quidem adhuc, sed dispositionem esse oportuit ad regnum Antichristi. Quæ postea sub papatu consummata, fefellit illos in sententias suas de patrum scriptis quàm de scripturis sacris instituere maluerunt. Qui dum sementem illam erroris ab antiquitate perceptam carnalis ingenii gremio confouerunt, messem superstitionis ingentem ediderunt, & de febricula patrum teterrimam Ecclesiæ pestem enixi sunt. Quorum errorem sequantur necesse est qui scripturas de patrum tantummodo sententiis exponunt, non patrum sententias & dogmata ad scripturarum justissimam & æquissimam stateram & lancem appendunt. Quod non ita dicimus quasi non intelligamus in scriptis antiquorum illorum grande momentum esse ad lucem scripturis afferendam: sed id tantum volumus, literas illas scripturarum ancillas esse debere, non Dominas: non iudices qui sententiæ necessitatem imponant, sed indices qui admoneant, ut dissentire liberum sit, si quod indicare videntur in scripturis ipsis inveniri non possit. Quod cum patres ipsi nos tam vehementer hortentur & moneant, eosdem profectò ipsos contra nos testes habituri sumus, si præsumptam ex illorum obliquitate aliqua perfidiam contra manifestam Dei veritatem superbè sequamur.

quamur. Atque hic tenenda nobis est regula in causa illa peruestiganda quam proponimus. Neque enim de Antichristo vel Antichristi dogmate rectè sentire poterimus, nisi sacris scripturis quæstionem omnem ita sistamus, ut nihil apud nos auctoritatem obtineat quod non ex illis fundamentis certissimis argumentis extractum sit: fiet enim alioqui, ut Antichristi falsa notione præoccupati, decipi nos ab impostoribus Ecclesiæ vocabulo sinamus, & pro Christo Antichristum nomen Christi mentientem, adoremus. Quod vidit Chrysostomus, siue ille quicumque author erat Operis imperfecti, quem Chrysostomi nomine interdum adduco, & Ecclesiæ Romanæ & maximorum apud illam authorum exemplum secutus qui locum apud Mattheum exponens, *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, ita sententiã reddit; ^h id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas. Montes sunt scripturæ Apostolorum aut Prophetarum. Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad scripturas? Quia in tempore hoc ex quo hæresis obtinuit Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ divinæ. Antea enim multis modis ostendebatur quæ esset ecclesia Christi & quæ gentilitas nunc autē nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in veritate, habēt & hereses*

g Sixt. Senē. bibliot. sanct. lib. 4

h Chrysost. op. imperf. hom. 49.

in schismate: similiter ecclesias similiter scripturas
divinas, similiter episcopos ceterosq; ordines cleri-
corū, similiter baptismum, eucharistiam & cetera
omnia, deniq; ipsum Christum. Volens ergo quis
cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi, unde co-
gnoscat in tanta confusione similitudinis nisi tan-
tummodo per scripturas? Item antea & per si-
gna cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui
falsi. Quomodo? falsi aut non poterant facere si-
gna, sicut veri Christiani, aut talia non poterant
qualia veri Christiani, &c. Nunc autem signo-
rum operatio omninò levata est: magis autem &
apud eos invenitur qui falsi sunt Christiani fieri
ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem ex-
ponit, Antichristo etiam plenorum signorum fa-
ciendorum danda est potestas. Item ex moribus i-
psis prius intelligebatur ecclesia Christi quando
conversatio Christianorum aut omnium aut mul-
torum erat sancta quæ apud impios non erat. Nūc
autem aut tales aut peiores facti sunt Christiani
quales sunt heretici aut gentiles. Adhuc autem &
maior continentia apud illos invenitur quam-
vis in schismate sint, quàm apud Christianos. Qui
ergo vult cognoscere quæ sit vera ecclesia Christi,
unde cognoscat nisi tantummodo per scripturas?
sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum
in novissimis diebus esse futuram, ideò mandat ut
Christiani qui sunt in Christianitate volentes fir-
mitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fu-
giant nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexe-
rint, scandalizabuntur & peribunt, non intelli-
gentes quæ sit vera Ecclesia, & per hoc incident
in abominationem desolationis quæ stabit in san-

Etis ecclesie locis. Planè divina sententia, & animaduersione omni dignissima, quam integram subiicere volui ad disputationem hanc nostram præmuniendam aduersus calumnias Papistarum, vt intelligant nos optima ratione, & patribus ipsis probatissima docere, controversiam omnem de Antichristo non de hominum quorumcunque coniecturis, sed de scripturis diuinis definiendam esse: illic periculum esse, ne in abominationem desolationis per errorem incidamus; hîc tantummodò nos securos esse, & veram Christi ecclesiam cui nosmet adiungere debeamus, ab Antichristi turba distinguere doceri. Quod tamen ne desperatione dictum videatur, quasi de Antichristo ea differamus quæ nusquam hæctenus in Ecclesia audita sunt, rem totam patrum testimoniis ita munitam constituemus, ut qui assertiones nostras & Pontificias utrinque de patribus acceptas inter se contulerit, & ad scripturarum iudicium reuocarit, planè perspiciat, nos veras & germanas patrum sententias; illos tantummodò opiniones temerè susceptas, adeoq, etiam hæreticorum leuissima somnia consecrari. Quare vt tandem causam ipsam agamus, demonstrationem Antichristi quam præfixo titulo pollicemur, ita proponimus: *Cui notæ omnes Antichristi conueniunt, is est Antichristus. Romano Pontifici conueniunt notæ omnes Antichristi: Romanus ergo Pontifex est Antichristus.* Maior controuersiam non habet; in minori sudabit opera nostra. Certè Antichristi nomen, locus, tempus, habitus, actus, doctrina, quibus

quibus sex articulis continentur omnia quæ in hoc negotio dicenda sunt, omnia demonstrant Romanam ecclesiam esse Antichristi synagogam, Pontificem Antichristum, fidem ejus perfidiam, statum apostasiam. Quod ut planè liqueat, de singulis ordine suo videamus.

C A P. II.

De nomine Antichristi literalis & mystico quod asseritur non esse proprium sed appellativum: contra Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 3. cap. 1. 2. & 10.

ANTICHRISTVM ex etymologia nominis^a Christo contrarium, siue Christi aduersarium interpretamur. Cuius vocabuli primus author *Iohannes* Antichristos appellans non hostes extraneos sed domesticos hæreticos, usum illius ita nobis aperuit, ut Antichristum non quemcunque aduersarium, sed illum tantum intelligamus, qui^b sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, super extollitur contra Christum. Ita minores illi Antichristi dicti: Ita vnus ille maior cæteris, cuius in cæteris pictura quædam & imago præuisa est. Neque verò rejicimus quòd vir doctissimus *Wolfgangus Musculus* eruditè animaduertit,^c Antichristum dici non solum qui Christo aduersatur, verum etiam illum qui pro Christo Ecclesie se obtrudit. Quod vellicat quidem *Bellarminus* & rodit more suo, quia videt eo Pontificis sui causam periclitari, sed certo

^a August. in 1. Ioan. tract. 3. Hil. lib. cont. Arianos & Auxent.

^b August. cont. aduersar. leg. & proph. lib. 2. cap. 12.

^c VVolf. Musc. loc. comm. de ministr. ecclesia.

Antichristum esse dicimus, Christo subordinatum intelligamus. Satis ad causam est, ut prepositio ἀντι substitutionem quamcunque no-
ret, siue à seipso quis per vim & fraudem subornatus, siue ritè ac legitimè subordinatus sit. Quare nihil impedit *Bellarmini* disputatio, quin magnum illum Antichristum complexa significatione dictum intelligamus, qui cùm Christi sit aduersarius & æmulus, se tamen, ut fallat immuniùs, in Christi locum supponit, & Christi se vices & partes agere profitetur, ut arbitrentur omnes ei se tanquam Christo & Christi nomine famulatum & obsequium præstare teneri. Certè proditoribus solenne est principum suorum nomine copias conuocare & conscribere, quas contra principes suos educant, ut nihil mirum sit si perfidus iste, qui citra Christi nomen parùm se apud Christianos profecturum intelligit ni Christi nomen se induat, & eius in terris partes agere præ se ferat. *Antiochus Epiphanes* in quo typum Antichristi fuisse Antiquitas iudicavit, cum regnum Ægypti *Ptolomeo* puerulo relictum spe jam atque opinione tanquam expositam sibi prædam deuorasset, rem sibi arte tractandam sentiens, non nisi tutorem se agere velle; & ^h *pueri rebus providere* simulavit. Verùm hoc prætextu prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, sua ^{11.} fraude subuertens, Ægyptum omnem sibi subiugavit. Quidni Antichristum ipsum pari ratione facturum putemus, ut tutelæ nomine Christi regnum occupet, & dum se res Christi curare fingit, sacrilega vsurpatione in rem suam

omnia conuertat? Et Antichristum quidem cum prætextu nominis Christi venturum ex istis Antichristis constat quos *Ioannes* commemorat; *Pseudoapostolis*, *Ebionitis*, *Cerinthianis*, *Nicholaitis* & cæteris, quibus consuetum erat omnibus Christiani nominis velamenta conquirere, & contra Christum Christi fidem & disciplinam ostentare. Quum enim per illos affirmat magnum illum quem quærimus Antichristum iam ^{et} tum in mundo extitisse, docet eiusdem cum illis ingenii futurum, & talem esse expectandum qui specimen quod in illis præcessit imitetur & adimpleat, & nomē Christi contra veram Christi fidem, splendidius tamen & astutiùs mentiatur.

1. *Ioan.* 2.
18.

2. *Ioan.* 4.
3.

2 Hæc verò notatio nominis Antichristi, si illam integram accipiamus, (qui volet, simplicius interpretetur Antichristum, Christo aduersum) quadrat in illum optimè, quem esse verum illum Antichristum (Deo iuuante) demonstrabimus; Romanum dico Pontificem qui se esse caput Ecclesiæ Christi, Christi vicem implere, Christi munus in terris obire gloria- tur: se illum esse cui Christus Ecclesiam suam cum plenitudine potestatis (in qua regalis Christi honor est positus) tradidit gubernandam: interim verò Christum quoad potest de regno deturbat; Christi leges refigit vt figat suas: Christi nomen relictum in vocibus expungit è cordibus, vt pingat suum, vt plus reuerentiæ Pontifici habeatur Christi nomine, quàm ipsi Christo; plus illius placito pareatur & iuri Canonico quàm Christi Euangelio; plus metua- tur

1 *Bulla Pii*
5. *contra E-*
lizabe-
tham regi-
nam.

tur fatuus ignis illius siue bullatus siue purgatorius, quàm ignis æternus. Quod autem excipit Bellarminus, Rom. Pontificem *non se hostem & amulum Christi, sed vicarium & famulum profiteri*, planè frigidum est & puerile suffugium, cum possit qui se vicarium prædicat, agere perduellè, & hostis esse qui voce tamen & vultu amicus est. Neq; verò est vlla perfidia capitalior, aut cum Antichristi negotio coniunctior, quàm quæ mellitis verbis fraudem occultat; quæ dum osculum præterdit, gladium intorquet in viscera; dum inuitat ad epulas, venena præparat, & diræ mortis exitium meditatur & struit. Num illud (Bellarmino) Romanum Pontificem excusat quo minùs Antichristus haheat, quia *se Christi famulum & subiectum Christo in omnibus fatetur*? Ecquid aliud agit hoc ipso quàm *Arius & Eutiches & Nestorius*; immo quàm *Marcion & Manichæus*, & reliqua omnis hæreticorum turba? quos si confodere velis tanquam mendaces & perfidos, necesse tibi est per illorum latera tuum quoque Pontificem vulnerare. Næ tu es argumentis miserrimè destitutus, qui tam stultè arguis; Pontifex se Christi famulum & ei se in omnibus subiectum fatetur; igitur Antichristus, id est, Christi aduersarius esse non potest: cum sit hoc Satanæ familiare, ^m *transfigurare se in Angelum lucis*, & domesticis Christi hostibus, qualis est Antichristus, maximè compendio ad fraudem esse soleat, Christi se interim famulos, illique per omnia subditos profiteri: ⁿ *Non est vir in domo; non est*

2. Cor. 11.

14.

n Hieron.

in prom.

cap. 7.

est

est Christus, inquit, corporaliter in ecclesia: surgens enim à mortuis ascendit in celum, nobisq; ministerium gubernanda Ecclesia, suam videlicet domum reliquit. Quod sibi Pontifex tuus, vt est hæreticorum omnium facilè princeps, speciali prærogatiua suum esse prætendit. Cæterum ut dicam paucis, Antichristum certissimum est per summam hypocrisin rem acturum, vtpote quem venturum edocti sumus ** in omni deceptione iniquitatis, ita vt * seducat, si fieri possit, ipsos electos.* Quare dubitari non potest quin eam sit rationem adhibiturus, quæ est ad fallendum expeditissima & tutissima. Nulla est autem ad fraudem via proclivior & opportunior apud Christianos, quàm vt Christi se vicarium & famulum prætendat, & illius auspiciis omnia facere præ se ferat. Ita illum orbis Christianus propensius admittet, quem si quidem aperte se Christum ostentet, resistentem sine dubio & impietati ac blasphemix tam manifestæ repugnantem habiturus est. Neque enim possibile est, inueteratam per tot secula Nominis Christi celebritatem deperire subito, & ex animis hominum atque opinione reuelli, vt nouo Christo, nuper nato, terræ filio cultus & veneratio deferatur. Quare quòd Pontifex se Christi vicarium & famulum prædicat, nihil impedimenti affert quominus idem ipse sit Antichristus. Nam quod ais, Bellarmine, Antichristum affirmaturum se esse Christum, Pontificem autem non se Christum vllomodo dicere, aut ei se parem facere, falsum pariter & otiosum est. Nam Christum se aliquo modo

* 2. Thess.

2.10.

* Matt. 24.

24.

modo

modo dicit, qui se esse dicit^o *sponsum* & *P caput* *o Extram.*
Ecclesie, quod non nisi Christus est; se *q Chri-* *Ioan. 22.*
stum nobis representare qualis hic erat inter ho- *cap. Cum*
mines; habere illud officium quod habuit Chri- *inter. in*
stus, cum in terris inter homines humano more vi- *glossa.*
ueret. Veruntamen ut se Antichristus Christum *p Extram.*
dicat, non vocibus agitur sed rebus ipsis. *maior & o-*
audio quid sonet, ait Augustinus, sed video quid *bed. cap. 6-*
vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus? *nam san-*
Quis enim malus non bene vult loqui? Bene lo- *ctam.*
quendo tegit improbitatem Antichristus, *q Bellarm.*
quam usque ad cælos opera proclamant, ut *de Rom.*
quantumlibet in Deum insaniat, tamen haud *Pontif. lib.*
facile illum orbis suspectum habeat artificiosa *5. cap. 4.*
pietate Sirenum cantus dulcissime modulante- *r August.*
tem. Cæterum illa omnia quæ commemoras *in epist. Io-*
Antichristi propria, Christum abnegare, Se *han. tract.*
Christum prædicare, Extollere se supra omne
quod dicitur Deus, postea demonstrabimus,
non sono verborum, sed rerum momento
ponderari, ut qui Christum ex cerebro suo fin-
git, aliamq; fidem Christi nomine conscribit;
qui Dictatoria potestate divina omnia sibi sub-
jicit, & sua decreta cogit obseruantius quàm
Christi præcepta seruari, qui denique sibi arri-
pit quouis modo quod non nisi Christi est, su-
pra Numen se efferre, & se in Christi locum
substituere dicatur, etsi non enunciet conce-
ptis verbis, Ego Deus; Ego sum Christus.

3 Est autem aliud Antichristi nomen mysti-
 co numero præsignatum à Ioanne, cuius inve-
 stigatio iam olim torfit antiquos, & doctorum
 hominum sensus plurimum exercuit. De quo
 tamen

1 Apoc. 13.
11.

2 Apoc. 15. 2

tamen aliquid in coniecturis illorum temporum Deus extare voluit, quod rectè nos, siquidem attendamus, ad illius mysterii explicationem deducat. Locus est apud *Ioannem* in *Apocalypsi*: *Qui habet intelligentiam, computet numerum bestiae: numerus enim hominis est; & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vbi cum numerum hominis appellat, talem proculdubio esse significat, qui ab homine possit ratione & ingenio peruestigari. Porro numerum bestiae versu superiore, ut alibi quoque designat esse numerum nominis bestiae, ut sciamus infirma esse, nec constare posse quæ homines alioqui eruditi pro hoc numero siue ad initium siue ad durationem Antichristi applicando disputarunt.

3 Cap. 2.

4 Apoc. 13.
1. & 17. 7.

5 Cap. 5. de
Antichri-
sto.

4 Cæterum de nomine Antichristi defini-ri nihil poterit, nisi illud primò expediatur, non proprium nomen & singulare requirendum esse quod vni tantùm conueniat, sed appellatiuum quod multis commune sit. Quod enim affirmat *Bellarminus* Antichristum *unum quendam hominem & singularem* esse debere, non à vero solùm, sed etiam à verisimili prorsus abhorret. Id ut constet, sciamus oportet visione *bestiae* apud *Ioannem* Romanæ urbis statum & principatum vniuersum designari. Quod post maximos authores *Bellarmino* quoque visum est, qui *bestiam* illam *Danielis* in *decem cornua* exeuntem cum ista confundit, & disertè, quia sic necesse habuit, de Romano imperio interpretatur. Huius autem bestiae *septem capita* numerantur, quæ ab *Angelo* de *septem regibus Romanis* exponuntur. Vbi de re-
gum

gum nomine semel & semper admonendum est, non eos tantummodo reges dictos esse qui communi stylo scribuntur reges & nominantur, sed principes quoscunque politicos qui summum penes se magistratum & regimen habent. Tales erant Romæ primò nomine ipso reges, post regis nomen expulsam Consules, Tribuni, Decemviri, Dictatores quibus numerus regum quinariis expletur. De septem ergo illis regibus *quinque ceciderant ante Christum; sextus in aduentu Christi emittit; septimus in occasu sexti venturus esset.* Iam verò *quinque illi reges* qui ceciderant ante Christum, & *sextus* quem Christus regnantem inuenit, non singuli reges, aut sex homines singulares, sed principatus sex, & succedentium in singulis principatibus regum; hoc est, summorum illius reipub. moderatorum series & decursus intelliguntur. Quæ nunc ergò ratio persuadeat; ut cum sex illa capita priora de regum successione singula accipiantur, septimum, quod Antichristum omnes exponunt, de singulari homine tres duntaxat annos & sesqui regnatura intelligamus? Quod quidem eò minùs probabile est, quia in septimo illo rege docemur *z imaginem sexti esse repetendam.* Imperium enim Romanum *Bestia* 14. dicitur; Antichristi status *imago Bestie.* Status ergo Antichristi referre debet imperium Romanum, ut caput eius vnum sit, non vnitatem personæ, sed singularum personarum vnius post alteram in eandem potestatem successione. Porro illa orbis dementatio qua gentes omnes & po-

y Anglo-rhemē. annot. in Apoc. 13. 1.

z Apoc. 13.

& populus & reges inducet Antichristus, ut supra cum ipso & fornicationes exercent, non vnus seculi opus est, non opera vnus hominis, sed insinuata paulatim & sensim apostasia perficienda est. Quum enim ^a fornicationes legimus, quum meretricem audimus, non tam vim & coactionem, quam sollicitationes, & blandimenta, & lenocinia, & meretricias artes cogitamus. Si repente Antichristus nouum Deum ostendet, si fidem nouam procudat, noua mysteria obtrudat, refugerint illum gentes & abhorruerint, nec erit tam expeditum orbem terrarum peregrinitate dogmatum & fidei novitate perculsum sacris suis hactenus inauditis obligare. Obstupescit enim ad motus repentinos animus humanus, & quæ conscientia religionis infederunt, haud facile nisi tractu temporis & longa negligentia, & instillata quasi guttatim malitia removentur. Quod illi non animaduertunt qui Antichristum vnum hominem & triennalem nobis narrant, quem vix credibile est cum suis natiunculam vnā aliquam ab auita impietate tam subito amouere, & ad sua novarum devotionum sacrilegia posse deducere.

§ Quod tamen Bellarminus præ cæteris asserere conatur, Scripturarum testimoniis abutens vt fidem faciat Romano Pontifici nomen & rationem Antichristi conuenire non posse. Id affirmat primū ex verbis Christi apud Ioannem: ^b *Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Hic verò locus, Bellarmine, quid

^a Apoc. 17.

2.5.

^b Ioh. 5.43.

quid tandem ad Antichristum? Tu nomina quidem apponis quorundam qui de Antichristo illum exponunt, sed non mouemur nuda nominum autoritate sine momento rationum: quanquam rationem quoque afferre videri vis, cum verè nullam afferas. *Dominus*, inquis, *opponit sibi alium hominem, hoc est, personæ personam non regnum regno, nec sectam sectæ, ut patet ex illis vocibus, Ego, alius: me, illum, in nomine meo, in nomine suo, sicut ergò Christus vnus & singularis homo fuit, ita quoque Antichristus esse debet.* At qui tandem constabit hîc personam personæ, hoc est, vnum vni opponi debere? Christus quidem vnus est, nec potest intelligi præterquam vnus: at *alius à Christo* infinitam habet significationem, & poterit hunc & illum & alterum notare, & distributiue omnem qui Christo aduersus est. Itaque clarissima exit sententia, *si alius venerit in nomine suo*, hic aut ille aut quicumque, illum recipietis. Et *alium* quidem cum dicitur numero singulari, pluraliter tamen intelligi posse patet ex eo quod alibi legimus apud Ioannem; vbi quod dicit Christus, *Alius est qui seminat, alius qui metit*, mox mutata sententia reddit: *Alii laborauerunt & vos in eorum labores introistis.* Et Apostolus Paulus vbi Iudæum appellat *ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium*, pluralia ista, *cæcos, tenebricosos, insipientes, infantes* numero singulari concludit, *Tu qui alium doces, te ipsum non doces.* Christus quoque cum dicit: *Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro*

Ioan. 4. 37

Rom. 2. 19

Ioan. 10.

ouibus suis : Mercenarius autem videt lupum
 venientem & dimittit oves & fugit; an quia sibi
 uni & singulari Mercenarium singulari quo-
 que numero opponit, idcirco tibi vnam ali-
 quam & certam personam mercenarii vocabu-
 lo notare videtur? Quod si non dixeris & vti-
 que non dixeris, nec illud nisi peruersè asserere
 poteris, *alium* in verbis Christi de vnico tan-
 tum homine sumi debere, quia Christus se sin-
 gularitè ex vna parte nominat, *alium* ex altera.
 Quid autem moramur qui teipsum habemus
 contra te confitentem, *alium* istum de multis
 accipi oportere? Tu ipse namque de Antichri-
 sto exponis quod apud Matthæum legimus:

f *Matt. 24. f Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego*
 s. *sum Christus. § Matthæi, inquis, vicesimo quarto*
 g *Cap. 1. de Antichri-*
 Ro. *Christum. Quod si de Antichristo exponen-*
dum sit, Multi venient in nomine meo & c. cer-
tè Antichristus non vnus & singularis, sed a-
lius & alius in multitudinem vsque intelligen-
dus est. Et est quidem in altero horum loco-
rum alterius explicatio, & quod apud Ioannem
legitur, si alius venerit in nomine suo, & c. idem
ipsum est quod apud Matthæum habetur,
Multi venient in nomine meo, & c. Vtroque
notantur propriè præstigiatores illi qui Iudæis
postea fraudem fecerunt, quales fuisse legi-
mus Simonem Magum, & Theudam, & Ægy-
ptium illum, & Barchocebam, & reliquos illos
magos & impostores, qui dum se Christos &
Prophetas & liberatores confictis quibusdam
miraculis ostentarunt, cæcam & insanam Iu-
dæorum

dzorum turbam ad seditiones incitarunt, & hostium manibus perdendos tradiderunt. Et hoc quidem iustissimo Dei iudicio, vt qui verum Messiam & seruatorem impiè repudias-
 sent, quasi veterno quodam correpti & com-
 muni sensu quodammodo priuati, vltro se ne-
 fariis seductoribus illudendos exhiberent.
 Quæ autem videtur illorum locorum repu-
 gnantia, *Multi venient in nomine meo, & alius
 veniet in nomine suo*, facilè conciliatur, si prout
nomen ambiguae significationis est, in altero lo-
 co intelligamus nebulones illos sibi quemque
 Christi seu Messiaë nomen indituros: in altero
 venturos illos non patris nutu, imperio, vo-
 luntate, tanquam illius voluntatem Christi ex-
 emplo facturos, sed motu suo, suo cerebro, &
 sui furoris amentia impulsos. Quo tollitur al-
 tera exceptio *Bellarmini* ludentis, vt solet am-
 phiboliis, & lectori caliginem offudentis.
*Omnes, inquit, Falsi Prophetae venerunt in nomi-
 ne alterius, non in nomine suo. Ier. 14. Falsi Pro-
 phetae vaticinantur in nomine meo: non misi eos.*
*At hic dominus loquitur de vno quodam qui ve-
 niet in nomine suo, id est, qui non agnoscet Deum
 aliquem, sed extollet se, ut Paulus ait, super omne
 quod dicitur Deus. Atqui non debebas, Bellar-
 mine, Christum cum falsis prophetis con-
 iungere pro via mendaciis tuis & fraudibus
 munienda. Certè quod Christus ait, Ego ve-
 ni in nomine patris mei, & quod alibi quoque
 de Christo dicitur: ^h *Benedictus qui venit in* ^h *Mass. 21.*
nomine Domini, diuisum quiddam habet ^o
 & proprium quod falsis Prophetis attribui*

i Ezech. 13.
6.7.

non potest. Vaticinatur illi quidem in nomine Domini, quia nomen Domini vaticiniis suis ob-
tendunt, semper habentes in ore, *Hæc dicit Dominus. Sed non misi eos, dicit Dominus, eoq; veniunt in nomine suo*, nullius scilicet præterquam sui nominis auctoritatem habentes. Christus ergò venit in *nomine patris*: missus scilicet à patre, mandatum habens à patre, virtute patris suffultus & verè munitus auctoritate nominis illius. Quod ergò dicitur *alios veniet in nomine suo*, ad legem oppositorum intelligendum est: veniet nimirum suis auspiciis, arbitrio suo, nullum habens à Domino mandatum quo nomen eius justæ pro se opponere, sibiq; fidem & auctoritatem vendicare possit. Quòd cum pseudoprophetis omnibus cõmune sit, nihil est cur hîc statuas designari aliquem qui hoc iudicio à reliquis omnibus discriminãndus sit. Immo venturum Antichristum more pseudoprophetarum omnium *in nomine domini*, tu ipse non diffiteris, qui de Antichristo accipis, vt suprà dictum est, quod habetur apud Matthæum: *Multi venient in nomine meo, &c.* & inde colligis quòd *Antichristus seipsum esse Christum affirmaturus sit*. Quòd si sepulto suo nomine, Christi sibi nomen & Dei, vt tu vis, arrepturus sit, & se Christum ac Deum affirmaturus, quò vestra omnium defensio semper tendit, qua tu illum ratione *in nomine suo* venturum interpretaris, nisi quàm à nobis habes traditam loci illius sententiam sequaris? Ineptissima est enim expositio tua; *veniet in nomine suo*, id est, *nullum Deum agnoscet sed extollet se, &c.*

se, &c. cum eum defendas dei nomen usurpaturum ut extollat se, quia in suo nomine non satis se praesidii habiturum confidet. Quam verò falsò affirmes Antichristum Deum nullum agniturum, postea, si Deus voluerit, demonstrabimus suo loco. Interim ubi ais, *Christus hinc dicit, Antichristum à Iudæis pro Messia recipiendum: constat autem Iudæos unum & certum hominem singularem expectare*, praesumis arte sophistica quod tibi probandum esset, & de quo probationem nullam afferre potes. Neque enim quicquam habes vel hinc vel alibi de scripturis quo confirmes Antichristum à Iudæis pro Messia vel quoquo modo recipiendum esse. Hunc autem locum de multis illis intelligi Iudæorum Pseudochristis magnarum illis calamitatum authoribus jam declaratum est, ut nihil adhuc habeas quo singularem tuum & solitarium Antichristum propugnare possis.

6 Quod verò proximè affers de Græci articuli potestate, ita meherclè puerile est & ineptum, ut planè pudere debeat te tantum hominem tam supra modum delirare. *Apostolus*, inquit, *ad Thessalonicenses loquens de vero Antichristo, loquitur de certa quadam & particulari persona, ut patet ex Articulis græcis, ἀνδρωπιότης ἀμαρτίας ὁ ὑὸς τῆς ἀπολείας: ὁ ἀνομος, &c.* ut enim docet *Epiphanius, articuli græci trahunt significationem ad unam rem certam*, ita ut ἀνδρωπιότης significet hominem in communi, ὁ ἀνδρωπιότης hominem singularem *Epiphanius* verò sententia, *Bellarmino*, longè aliter se habet quam tu urges: *Ubi, inquit, articulus additus est in uno*

*k Epiphanius
har 9. Sa-*

aliquo marito.

aliquo determinato ac manifestissimo, omnino cōfirmatio propter articulum cōtingit. Citra articulum verò de vno quocunq; tandem indefinitè accipiendum est: veluti verbi causa, si dixerimus βασιλεύς, id est, rex, nomen quidem significauimus, sed non clarè eum qui determinatur, ostendimus. Regem enim dicimus & Persarum & Medorum & Elamitarū: si verò dixerimus addito articulo, ὁ βασιλεύς, minimè ambiguum est significatum. Nam rex de quo quæritur, aut de quo dicitur, aut qui cognoscitur, aut alicuius imperium habens per articulum indicatur. sic etiam cū dixerimus ἄνθρωπος, id est, homo, & ὁ ἄνθρωπος. Iam quod Epiphanius eruditè monet, tu improbè peruertis, & manifesta fraude, quod apud illum est certū & determinatum, tu indiuiduum & singulare esse prætendis. Verum quidem est quod ait Epiphanius, vbi de re certa & determinata agitur, rem illam certam de qua dicitur, aut quæritur adiectione articuli demonstrari solere. Non est verū quod tu affers, vbicunq; reperitur articulus adunctus rem certam demonstrari, aut quæ certa demonstratur, indiuiduam & singularem esse oportere. ἄνθρωπος hominem communiter notat, & totam speciem comprehendit: articulus adunctus, ὁ ἄνθρωπος, interdum abundat & restringendi vim nullam habet. vt Luc. 44. ἄρτι μόνον ζήσεται ὁ ἄνθρωπος; Non ex solo pane viuet homo: interdum hominem certum & indiuiduum quasi digito mōstrat, vt Ioan. 19. 5. ἰδε ὁ ἄνθρωπος: ecce homo: interdum certæ rationis aut cōditionis hominem hunc aut illum indefinitè significat, vt Matth. 12. 35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος,

1 Luc. 44.

m Ioan. 19.
5.

n Matth. 12.
35.

ἄνθρωπος,

θρωπῶ, &c. ἐκβάλλει τὰ ἀγαθὰ: ὁ πονηρὸς ἄνθρω-
 πῶ, &c. ἐκβάλλει πονηρά. *Bonus homo, &c. profert
 bona: malus homo, &c. profert mala.* Qua tu ergò
 fronte dicis propter adiunctum articulum
 non nisi singularem hominem intelligi debe-
 re? Cæterùm vt liqueat tibi error tuus, & ter-
 giuersandi locus nullus relictus sit, verte mihi
 epistolam ad Hebræos, vbi capite nono ita le-
 geris: *ο in secundum (tabernaculum) semel quot-*
annis μόνῳ ὁ ἀρχιερεὺς, solus pontifex ingredi-
tur. Et iterum ibidem: *P Non vt sæpe offerat se-*
metipsum, ὡσπερ ὁ ἀρχιερεὺς sicut pontifex ingre-
ditur in sacrarium quotannis, &c. Nonne vides,
 licet addito articulo, non vnum aliquẽ Pontifi-
 cibus, sed totam Pontificum seriem & succes-
 sionem denotari? Quid ni ergo ὁ ἄνθρωπῶ τῆς
 ἁμαρτίας, &c. non vnum aliquem hominem &
 singularem, sed certam hominum seriem desi-
 gnet in eadem cathedra pestilentia sibi invi-
 cem succedentium?

o Heb. 9. 7.

p Vers. 25.

7 Eadem opera ruit quod astruis ex episto-
 la Ioannis. *Primæ Ioannis secundo, inquis, sic le-*
gitur, ἡκῶσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντί-
χριστοὶ πολλοὶ γεγόνασιν: ubi articulum, inquis,
preponit Antichristo propriè dicto: sine articulo
verò effert nomẽ Antichristi communiter accepti:
apertissimè indicans Antichristum propriè dictum
esse unam personam certam: Antichristum verò
communiter acceptum non esse certam personam,
sed in genere omnes hereticos. Nos verò libentèr
 tibi concedimus articulo vim restrictivam at-
 tribui debere, vt ὁ ἀντίχριστος certum quendam
 Antichristum designet, ab illa Antichristorum

promiscua turba distinguendum. Immo si id velis tuis verbis, agnoscimus certam hinc personam indicari. Nam in corpore civili vel Ecclesiastico, quale est de quo nos agimus, certa persona non vno continetur hominis indiuiduo, sed hoc aut illo loco perpetua successione quemcunque designat. Singuli homines moriuntur, corpus manet & membra certis officiis & nominibus distincta. *Moses*, vbi scripsit in lege, ^q *Leuit. 14.* adducendum esse ad sacerdotem qui de lepra ^{2.} *mundatus est*, certam personam vocabulo *sacerdotis* indicauit; vnicum hominis indiuiduum non dixit. Qui ministrum Ecclesie in certis causis consulendum prescribit, personam definit certam, quam tamen subeunt successiue plures homines singulares. Nos ergo certum illum Antichristum, siue certam personam quae Antichristi vocabulo subiacet, Pontificem Romanum esse contendimus, nec tibi grammatica tua quicquam subsidii feret quominus vt δ ἀρχιερεὺς de tota serie Pontificum Iudaeorum, ita δ ἀντίχριστος de tota Pontificum Romanorum successione dici possit. Quum verò pronomen *ille* vim græci articuli ad vivum exprimat, quid est quod dicere quemquam impediatur de Romano Pontifice, Ille, ille est qui Ecclesiam vexauit & perdidit; qui legibus suis Christi leges euertit: qui imperatores & principes calcavit, vt citra impedimentum in Ecclesia tyrannidem exerceat; qui tamen non singularem aliquem Pontificem, sed integrum apostatarum illorum ordinem velit intelligi? Quanquam vt argumentum tuum futile & ineptum

eptum esse sciatur, illud porro observandum est, Antichristi nomen adiuncto articulo interdum efferri, vbi tamen de magno illo Antichristo magis quàm de cæteris intelligi non debet. Locus est 1. Ioan. 2. *Quis est mendax nisi qui negat Iesum esse Christum?* ἔτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος: hic est Antichristus. Et alter Epist. 2. *Multi impostores ingressi sunt in mundum qui non confitentur Iesum Christum in carne venisse:* ἔτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος. Hic est seductor & Antichristus. Quibus locis manifestum est Ioannem de illorum quoq; temporum hæreticis agere, & nomine ἡ ἀντιχριστος nihil aliud velle quàm pro egregio quodam impostore & Antichristo habendum esse quemlibet eorum quos permultos fuisse narrat, qui negarent Iesum esse Christum, vel Iesum Christum in carne venisse. Tantùm verò abest vt ibi vnus ille tantummodo Antichristus intelligendus sit, vt loca illa Augustinus, Oecumenius, Aquinas, ex glossa comuni de Simone Mago, de Valentino hæretico, de Iudæis, de omnibus exponant qui mandatis domini Iesu Christi obtemperare contemnunt. Quare tu fumos nobis vendis, Bellarmine, planè dignus qui fumo pereas. Et tamen quasi magnum aliquid attulisses, nescio qua perfrixtæ frontis impudentia dicere non vereris: sanè mirùm est neminem aduersariorum qui tamen linguarum peritiam iactant hoc animaduertisse. Ego verò tibi respondeo quod olim Augustinus Iuliano: *Doleo sicte abuti eorum ignorantia qui græcè nesciunt, vt eorum qui sciunt iudicium reueritus non sis.* Quid enim? An tibi

1. Ioan. 2.
22.

2. Ioan. 7.

August.
in 1. Ioan.
tract. 3.

Oecumen.
Thom. Aquinas in
1. Ioan. cap.
2. & in secundam.

x August.
contr Iulian. Pelag.
lib. 5. cap. 2.

y Cicero
fam. epist.
lib. 5. ep. 12.

pro argumento esse debuit in causa gravissima, quod puerulus quisq; de scola coarguit & falsum esse deprehendit? Atqui mendacia nisi de mendaciis fulcimentum non habent, & qui semel verecundia fines transierit, eum oportet bene & gnauiter esse impudentem.

2. Dan. 7.
17.

a. Apoc. 17.
10.

8 Quod porro adducis loco quarto & quinto ex Daniele & Ioanne Antichristum non vocari unum regnum sed unum regem, vt illum vnum hominem esse confirmes, pariter vt cætera, otiosum est & causæ tuæ debilitatem prodit. Certum est enim apud Danielem quatuor reges, non quatuor homines reges, sed quatuor regum series indicare; & eodem modo, unum regem, non vnum hominem regem, sed totam regum in vno principatu successionem designare. Quare quod est Hebraicè, quatuor reges, vulgata versio tua 2 quatuor regna vertit, vt eodè recurrere intelligas, siue quatuor reges, siue quatuor regna interpreteris. Illud quoque in cõfesso est^a vnius regis appellatione apud Ioannem, aliàs binorum consulum, aliàs tribunorum & decemuirorum plurium decursus, aliàs totam Romanorum imperatorum successionem sigillatim comprehendi. Ergò etsi Antichristus more scripturæ vnius regis appellatione notetur, nihil tamen obstat quominus vt in cæteris, ita in Antichristi regno successio multorum esse possit.

9 Sed tamen ais ex Caluino, cui adiungis quoque Cyprianum & Hieronymum, Antiochum illustrem apud Danielem figuram gerere Antichristi, sed Antiochus Illustris certa quædam

dam & singularis persona fuit: igitur Antichristus certa quedam persona esse debet. Id verò assentimur eo sensu quo antè dictum est, & est Romanus Pontifex certa semper & singularis persona, vt nihil in eo sit cur illum non arbitremur esse Antichristum. Tuo sensu, vt Antichristus vnicus homo sit, seipso contentus & successorem non habens, falsissimum est, & ab argumento tuo sequelam non habet. Neque enim necesse est in typo numerum præcedere, sed rationem & modum rei figuratæ. Vnus Abel, teste Augustino, ^b totam Dei civitatem peregrinantem in terris, & ab impiis aduersa patientem præfiguratur. Hieronymus apud Malachiam in vno Elia ^c chorum omnem Prophetarum intelligit. Tibi Melchisedec sacerdotii figura est, non solum Christi, sed etiam ^d Christianorum, ut te quoque impiè facias sacerdotem secundum ordinem Melchisedec. Quòd si in vno typus multorum esse possit, quid obstat quominus vnus Antiochus Antichristum loco quidem & officio vnum, personarum verò successione multiplicem adumbret? Et certè habet illa Antiochi historia quiddam coniunctum cum Antichristo, nec omninò repudianda censemus quæ antiqui patres ad hanc causam accommodarunt, modò ea mittamus, quæ quia sunt personarum & locorum & temporum illorum circumstantiis quasi vinculis ligata, contineri debent finibus suis, nec trahenda sunt vltra historiam cum qua propriè coniuncta sunt. Quod illi dum non attenderunt, & omnia omninò in Antichristo locum habere

^b August.
de ciuit.
Dei. lib. 15.
cap. 15.

^c Hieron. in
Malac. cap.

4.
^d De. Missa.
lib. 1. cap. 6.

bere judicarunt, quædam finxerunt de præliis & regnis Antichristi, quæ mirum est à tantis viris tanta negligentia vel cogitari primùm vel postea confirmari potuisse. Vt autem typum hunc Antichristi rectè capiamus, animadvertendum est voluisse Deum vt in populo Iudæorum, & in vrbe & in templo Hierosolymitano singulare quoddam specimen Ecclesiæ futuræ, & imago Templi spiritualis eluceret. Quando ergo regnum Antichristi funestum ecclesiæ & fatale esse debebat, eatenus in *Antiocho* statui-
 mus Antichristi typum esse debuisse, quatenus illi cum sanctuario & populo Dei, in quibus ecclesiæ figura præcessit, negotium & res esset: quod extra hunc ambitum est, nulla ratio est cur putemus ad Antichristi typum pertinere. Itaque quæ de *Antiochi* furioso numinis despectu, de cultu Dei & jugi sacrificio abolendo, de deo alieno & patribus ignoto substituendo; de sanctuario polluendo & prophanando; de immani illius superbia & sanctorum persecutione dicta sunt, ea non incommodè possunt post *Antiochum*, vt post videbimus, ad Antichristi tyrannidem & impietatem accommodari. In reliquis verò multa sunt quæ de *Antiocho* facilem habent expositionem, & de veteris historiæ luce perspicuam; de Antichristo non nisi coactam & violentam, nec vlllo modo cum veri Antichristi ratione cõgruentem. Iam quæ postremò *Bellarminus* affert, *Antichristum instrumentum diaboli electissimum fore, ita vt plenitudo omnis malitiæ in illo inhabitet, & cum tres duntaxat annos & dimidium regnaturum,*

rum, eorum alterum verum esse postea docebimus, & in Romano Pontifice comprobatum: alterum omninò falsum, nec posse convenire cum Antichristo illo quem scripturæ nobis expectandum proponunt.

10 Postquam ergo constat Antichristum vnum aliquem hominem & singularem esse non posse, sequitur nomen illius non personale & proprium, sed appellativum & ab adiuncto aliquo sumptum esse debere. Id *Ioannes* numero contineri significat; *e Apoc. 13. centi sexaginta sex.* De illo numero *Irenæus* sui temporis coniecturas exponit quæ in euentu rerum habent omnes aliquid quod animadversione nostra dignum sit: vna de scripturis illam habet lucem vt certam illa veritatem contineri non dubitem. *f εὐδαίμας nomen,* inquit, *f Iren. ad hunc habet numerum.* Idem est ac si dicas: *uer. hare. felicitè & pulchrè florens,* & statum regni Pontificii luculentissimè describit, ditionis amplitudine, plenitudine potestatis, immensitate opum, ædium magnificentia satellitum splendore, deliciis hortorum, agrorum vbertate, pratorum amœnitate vbique fere orbis terræ florentissimum. Certè quicquid habet hic mundus delicatum & suaue, siue immunitatem laboris & otii quietem; siue opiparam & exquisitam ferculorum & epularum insolentiam; siue venerum dulces sine vinculo varietates; siue spectabilem multitudini pompam & gloriam: quicquid denique inescandis seruit hominibus & libidini titillandæ, id totum in Pontificis caput & clientelam effusum est, ita vt ha-

vt habitus ille etiam qui mundi renuntiationem adpromitteret, maximis alumnos suos seculi voluptatibus & vitiis innutriet.

II Alterum nomen apud *Irenaeum* est *τηταιν* quod ille putat *omnium fide dignissimum*, quia *diuinum nomen putatur, vocabulum solis, nomen idolorum quae apud Gracos & Barbaros publicè adorantur, continens ostentationem quandam ultionis & vindictae.* Quàm scitè verò depingit idolum illud Romanum quod tam importunè, tam impiè venerantur: illum quem jubilæos & solemnitates agentem tanquam *Pessinuntiam* quandam deam sublimem humeris circumgestant, prælato sibi sacramento tanquam igne *Persico*; illum qui ne nomine ipso carere videatur, *se & maius illud luminare*, hoc est, solem esse gloriatur, *quod diei*, hoc est ecclesiae regendae constitutum est: qui *Gigantæa* magnitudine columnas ipsas orbis terrarum quassauit & fregit: & superba vindictæ libidine principes & magnates ita perterruit, vt vix in aduersum hiscere aut mutire auderent. Hæc verò etsi diuina quadam prouidentia concepta & conscripta videri possunt, & non numerum modò propositum expleant, sed illius etiam quem Antichristum esse dicimus formam quandam & imaginem ad viuum exprimant, non habent tamen è scripturæ fundamentis illam auctoritatem vt in iisdem prorsus acquiescere possimus.

12 Tertium vocabulum *λατειν* & rationem habet manifestam & dilucidam, & è vaticinio *Ioannis* vltro profluit, vt non sit dubitandum quin

g Decret.
Greg. de
maior. &
obe. cap. so-
lita.

quin Antichristus hoc ipso nomine dijudican-
 dus sit. λατεϊν^o, inquit ille, numerum habet sex-
 centorum sexaginta sex, & valde verisimile est,
 quia verissimum regnum hoc habet nomen. Lati-
 ni enim sunt qui nunc regnant. Vbi qui rationem
 appositam diligenter expenderit & cum Ioan-
 nis historia contulerit, facile ille senserit Ire-
 næum ad veram intelligentiam nominis Anti-
 christi quàm proximè peruenisse. Ego certè
 non dubito quin tota illa posterioris bestiae de-
 scriptio, *Apoc. 13. vers. 11. & seq.* ab eadem re-
 petita visione *Cap. 17.* lucem & interpretatio-
 nem habere debeat. Ibi verò Antichristum in-
 telligimus regem quendam futurum eo sensu
 quò ante dictum est. Atqui rex à regno nomen
 habet; vt Anglus, Gallus, Hispanus à suis quic-
 que regnis nomen obtinent. Itaque Spiritus san-
 ctus postquam nomen Antichristi certo quo-
 dam numero contineri docuisset, quod quia
 regem illum esse oporteret, de regno eius su-
 mendum esse, facile quicuis intelligeret, re-
 gnum quoque designare voluit quod nomine
 suo numerum illum præstaret; in quo porro
 regnum Antichristi firmandum esset; ac pro-
 inde ex quo nomen eius petendum & totum
 illud mysterium explicandum constaret. Re-
 gnum autem Romanæ ciuitatis apertè descri-
 bit. Eius enim & non alterius cuiusquam
 sunt septem montes de quibus ait: *Septem*
capita sunt septem montes super quos mulier se-
det. Inde Romanos Tertullianus¹ vernaculam
septem collium plebem appellat. Inde sacrum illis
 & solenne^k *septimontium*, dies festus mense De-
 cembri, Sueton.

^h *Apoc. 17.*

^{2.}
ⁱ *Tertul. in*
Apol. cap.
^{50.}

^k *Tertul.*
de idolola-
tria. An-
notat in
Tertul. ex
Festo &
Sueton.

cembri, quo in septem montibus sacra fiebant. Neque verò quicquam apertius esse potest ad Romanam ciuitatem notandam, quàm quod habetur in fine capituli: Mulier quam vidisti magna civitas est, quæ regnum habet super reges terre. De illo regno Romano Irenæus: Verissimum regnum hoc habet nomen, λατεῖν: Latini enim sunt qui nunc regnant. Regnum ergo de quo loquitur Irenæus, est bestia illa quam describit Ioannes in Apocalypsi. λατεῖν autem nomen est verissimi illius regni quod memorat Irenæus. λατεῖν ergo nomen est bestię illius quam Ioannes describit in Apocalypsi: Indicatum est autem Ioanni, ait Athanasius, ex hac bestia futurum esse Antichristum. Et id quo tandem modo indicatum est? Hoc ipso, nempe quòd Antichristus suo loco & tempore caput illius bestię futurus narratur. Nam septimum caput bestię nemo est qui Antichristum non intelligit. Cùm verò caput illum futurum constet eiusdem bestię cuius erant sex priora capita, quam regnum Latium siue Romanum esse manifestum est, caput eum futurum constat regni Latini, & Romanę ciuitatis principatum habiturum. Priùs verò quàm septimum illud caput exurgeret, regnum Romanum, orbis imperio celeberrimum, coarctandum erat suis finibus, & orbis imperio destituendum. Quo factò, suos Christus admoneri voluit Antichristum illum fore, qui post imperatorem, sextum regem regni Latini, septimus in eo successor futurus esset: ad quem, inquam, regnum Latinum, succiso capite sexto, dominatu jam orbis amisso

*I Athan. in
Synopsis.*

amisso perueniret. Iam verò regnum Romanum siue Latinum præter Pontificem nemo iamdiu possidet. Ille urbem Latinam seu Romanam occupauit, & imperatore prorsus extruso, mentita donatione suam & sui tantum juris esse denunciat, ^m *Romanam ciuitatem cum ducatu suo, & suburbanis & territoriis eius montanis & maritimis, littoribus & portibus; sen cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis ac villis in Thusciae partibus, &c.* Hac ratione Bellarminus illum * *principem politicum esse, & gladio temporali territorio Romano præesse, & jure quoque posse præesse defendit.* De Antichristo ergo quid hæsitemus, qui principem Latinum inuenimus, quum ex principatu Latinæ gentis post imperatorē agnoscendus sit Antichristus? Certè qui Latinum & septimum audimus, de Antichristo, nisi sponte velimus, errare non possumus. Qui de regno Latino futuram Antichristum intelligimus, & illius regni septimo principatu potiturum, sextum verò principatum cum imperatore Romano successisse; citra omnem controversiam stare videmus, quòd Pontifex Romanus, Christi se vicarium ostentans, ipsissimus sit Antichristus. Qui vt sibi nomen hoc haud frustra inditum esse confirmet, de nomine suo suos omnes Latinos, sua omnia Latina esse vult. Inde Ecclesia ab illo depēdens *Latina Ecclesia* dicta est, ⁿ *Sedes Apostolica Ecclesia Latina est.* Liturgia publica Latina esse præcipitur: preces in vsu priuato latine sunt; fora Latina, Latina diplomata; scripturæ ^o authenticæ ex concilii decreto non nisi Latinæ. Deni-

m Dist. 63. Ego Ludovicus.

* *Bellarmin. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 9. & 10.*

n Constant. synod. 8. sub finem. Trident. concil. sess. 4. cap. 2.

que ita totus in Sacris Latinus est, vt vulgo nostro consuetum sit, veterem, vt appellant, Ecclesiæ ritum, *Latinae Legis* vocabulo commemorare.

13 Restat nunc Bellarminianas exceptiones examinare, quibus fidem huius nominis quoad potest euertere conatur. Ac primò de coniecturis istis non inquirimus quæ sit *Irenæo* probata maximè, sed quam inueniamus cum sacris oraculis & rei veritate maximè congruentem. Rationem habet hoc nomen de Scripturæ fontibus petitam, reliqua non habent. Sed tamen Bellarminus, *coniectura*, inquit, *Irenæi quæ tunc aliqua erat, modò nulla est.* Quid ita verò? *Ipse dicit probabile esse Antichristum vocandum Latinum, non quia dominabitur in Latio, sed quia Latini erant qui tunc regnabant latissimè, & orbem totum tenebāt.* At ineptè cur illud interponis, *non quia dominabitur in Latio?* An tibi tam expers mentis videtur *Irenæus*, vt Antichristum Latinum putaret dicendum quia Latini tum regnum habebant, cum tamen ipsi cum regno Latino nihil rei futurum esset? Certè nomen Antichristo dabunt res suæ, non alienæ: nec vel fingere potes, cur ille Latinus appellandus *Irenæo* videretur, nisi quia regnum Latinæ gentis ei cessurum esset. Perge verò. *Cùm enim Antichristus potentissimus rex esse debeat, sine dubio occupabit potētissima regna quæ tunc inueniet.* Et erit quidem Antichristus rex potentissimus, nō tamen imperii jure, nō ciuili ditione regni temporalis quia simul cum illo decem reges ex imperio jam dissipato exituri sunt, & suis quiq; regnis

gnis simul cum illo potituri: sed potestate alterius cuiusdã jurisdictionis, cuius nomine, *p* *Apoc. 17.* *testatem suam ei subdituri sunt, & ceruices suas* *13. 17.* quodammodo præbituri. Quæ tu vltra somnias de regnis & potentia Antichristi, non nisi mera figmenta sunt, & firmamentum nullum habet. Ecquid amplius? *Potentissimum autem regnum est Latinorum*, ait Irenæus. *Ipsi enim nunc verissime regnant.* Tu tandem quid ad hoc? *sanè coniectura ista hoc tempore nihil valet.* Nam Latini non amplius regnant in toto orbe terrarum: sed Turca sunt qui verissime regnant, & apud nos Hispani & Galli. Benè habet: ita tu tandem tuo fune strangularis. Verè dicis, quanquam contra te, Latinos regnum orbis terrarum non amplius tenere, Nam illud quidem frangi oportuit, vt post dicemus, vt locus daretur Antichristo. Postquã ergò cecidit regnum illud, & locus Antichristo ex illo tempore factus est, cur tu, quod inde necessario conficitur, venisse Antichristum fate-ri detrectas? *Regnant Hispani, Galli, &c.* quia imperii Romani prouincias in decem regna dispertiri. Atqui verò simul cum illis regnis regnum Antichristi eminere oportuit. Cur tu ergò qui reges illos agnoscis, Antichristum adhuc exoriturum expectas? Inter hanc verò imperii Romani dissipationem Roma ipsa neruus regni Latini regno jam orbis exuta cui cecidit? Cui nisi Pontifici? qui regalia eius omnia obtinuit & totam sui juris esse contendit, vt Romani regem suum, id est, Latinum præter Pontificem norint nullum. Itaque quoscunque authores habuit *Irenæus*, certè temeraria

illorum coniectura non fuit, qui quum agnosceret Antichristum diuulso imperio in regno merè Latino succedere debuisse, *Latini nomen* Apocalyptrico illo numero implicatum censuerunt, vt inter multos reges ex imperii prouinciis eminentes qui rex Latinus esset, eo modo quo dictum est, cui cæteri reges non imperii nomine, sed, quod experti sumus, Ecclesiæ obsequium præbituri essent, hunc omnes tanquam carbone notatum horrerent, & ipsum esse Antichristum iudicarent.

q Ioan.
Scapula. in
append. ad
Lexicon de
recta pro-
nunciat.
lingua gra-
ca.
Idem Iu-
stus Lip-
sius de Vet.
pronūciat.
cap. 8.
r Quintil.
instit. ut.
Rhet. lib. 1.
cap. 7.
Iul. Scalig
de causis
ling latina.
b. 1. cap.

14 Adhuc tamen repugnat *Bellarminus*: *Nomen* inquit *Latini* vt significat *Romanum* non scribitur per ei, sed per simplex jota, & tunc non reddit illum numerum. At si ad antiquam linguæ Latinæ scripturam recurramus, friget exceptio tua, *Bellarmine*, nec labefactat vllomodo sententiam nostram: Nam *i longum*, vt obseruauit Io. Scapula, & proferebatur antiquis Romanis vt hæc diphthongus ei & e inclusum habeat, quod animaduertit ille tempore Ciceronis vsitatum fuisse, & vetustiores Latinos, ubi *i longum* esset, semper ei scripsisse, & in vetustis inscriptionibus hanc scripturam extare, celeberrime *veis*, *preimus*, pro celeberrimi, *uis*, *primus*: & in numismatis antiquis *leibertas*, *Serveilius*, *eidus*; quæ nobis sunt *libertas*, *Seruilius*, *idus*, & c. Inde *Quintilianus*:^r Diutius durauit vt e. i. iungendis eadem ratione qua Græci ei uterentur. Et hoc à *Lucilio Grammatico* in præcepto datum ait: *Iam puerei venere*, e postremum facito atque *i Mendacei*, *fureique* addes e, quum dari *furi iuferis*. Quod *Sex Nigidio* quoque *Iulius Scaliger* obser-

obseruauit. Ergo quum Latinus per *i longum* efferatur, & *i longum* ex antiqua pronunciatio-
ne idem valeat atque *ei*, certè qui græcè scribit
λατεῖνⓄ, nihil nouum adducit, sed veteris or-
thographiæ regulam seruat. Etsi verò illa scri-
pturæ ratio jam olim exoleta esse cæperit, & ea
nunc per *i* dicantur, in quibus *ei* antiquitus so-
nare consueta est, tamen vt *i* nostrum eandem
vim habere videatur, vsus obtinuit ut quæ græ-
cè scripta sunt per *ei* sequente consonante, ea
nos vbi Latina facimus, plerunque per *i longum*
enunciemus, vt Ἀτρεΐδης, Attrides: Ἀεισεΐδης, A-
ristides: εἰρωνεία, Ironia: εἰκόνες, Icones: εἰδωλα, I-
dola: & sexcenta huiusmodi. Vicissim ergo de
Latinis græca facientes, *i longum* percommo-
dè reddimus per diphthogum *ei*, vt non λατι-
νⓄ, sed potius λατεῖνⓄ ex veteri consuetudine
rectè scribatur.

15 Vbi porro dicis nomen λατεῖνⓄ si erit
Antichristi, proprium ei futurum Ⓞ maximè v-
sitatatum, vtrunq; de te sine scriptura dicis. Quod
ais proprium nomen esse debere, jam ante re-
futatum est. Quod adiungis maximè vsitatum
fore, necessitatem habet nullam. Neque enim
propria nomina sunt semper vsitata, commu-
nia multò minùs. De Christo dictum est: ^u Vo- u *Matt* 1.
cabis nomen eius, Immanuel, nec tamen vsitatum ^{23.}
erat Christum hoc nomine vocare. Neque ^x o- x *Zach* 3. 8.
rientem siue germen; neque ^y admirabilem, ne- y *Esa* 9. 6.
que *consiliarium*, & c. quem tamen his nomini-
bus prophetæ insignitum tradiderunt. Nihil
est ergo quod addis, *Nec ullus vnquam Papa vo-*
satus est proprio nomine Latinus, nec est hoc no-

t *Iul. Sca-*
lig. de cau-
sis ling. la-
ti. lib. 1. cap.
27.

men vsitatum: nunquam enim Papæ se Latinos vocant, sed solum episcopos aut Papas. Nam illud est quod nos quærimus, an sit Pontifex gentili nomine *Latinus*, & post imperatorem caput Latinæ gentis. Quod si esse illum reperiamus, hoc ipso nobis citra quæstionem erit Antichristus. Parem habet vanitatem quod de *Romano* affers. *Romanus nomen fuit unius solius Pontificis qui tamen non potuit esse Antichristus, cum non vixerit nisi mensibus quatuor: alioqui autem nomen est commune.* Neq; enim nos Antichristum vno Pontifice terminamus: & est multorum Pontificum nomen commune quod desideramus. Tale tu *Romanum* esse fateris, & nos libenter accipimus. *Romanus* enim in stylum Pontificis tui semper incurrit: Pontificem Romanum dicimus, episcopum Romanum. Quando ergo *λατῆιν* rectè vertatur te ipso teste *Romanus*, certè Pontifex qui perpetuo stylo Romanus est, & nomine Pontificis vrbis & Ecclesiæ Romanæ principatum obtinet, hoc ipso *Latinus* est ille quem quærimus, & eo quoque Antichristus.

16 Verùm inquis, si solum hoc nomē *λατῆιν* vel *Romanus* efficerent numerum 666. aliquid dicerent aduersarii: at in numerabilia nomina inveniuntur quæ hunc eundem numerum reddunt. Et redderent Bellarmine quum tuus ille Antichristus adueniret, siquidem esset qui veniret. Num hac ratione putaueris non esse illum suo nomine cùm venerit æstimandum? Tu Antichristum venturum expectas; nos venisse certi sumus. Da veniam vt quantumlibet nomina reperiuntur

periuntur plurima quæ numerum illum justè
 conficiunt, illud tamen sequamur, quod scri-
 pturæ lucem habet aliquam, & rerum euentu
 probatissimum inuenitur. Quod enim affers ex
 Irenæo, *certissimum esse* pro nomine Antichristi
 dijudicando *prophetiæ ad impletionem sustinere,*
 piè ab illo & sapientèr dictū amplectimur, & ex
 illius consilio post mille jam & quadringentos
 annos prophetiam illam ad impletam experti,
 de nomine Antichristi fidenter pronunciamus,
 & illum nobis in Romano Pontifice notissimū
 execramur. Neque refert quòd tibi ac tui simi-
 libus non sit notus Antichristus. Neque enim
 qui Antichristi sunt, illum Antichristum esse
 judicabunt. Tu quoque tibi sponte cæcitatem
 inducis, & quod vides, videre dissimulas, tantò
 grauiori iudicio, quantò te pluribus erroris in-
 strumentum præbes. *2 Iustificata est tamen sa-* *2 Matt. 11.*
pièntia à filiis suis, & notus est Antichristus quæ- *19.*
admodum notus est Christus reliquiis & electis:
 iste vt audiatur, & per illum vivatur: ille vt hor-
 reatur, ne per eum in mortem incurratur. Scri-
 bas & Pharisæos & principes quamlibet erudi-
 tos & prudentes Christum agnôsse non legi-
 gimus, quia incommodum sibi putarunt vt Ie-
 sus pro Christo haberetur. Nec vllò modo fe-
 runt Cardinales & Iesuitæ ut de Antichristo cõ-
 fteret, quia vident non futurū è re sua vt Pontifex
 Romanus pro Antichristo habeatur. Vtrique
 miseram plebeculam fefellerunt & fallunt, &
 ignorantia compeditos tenent, & *4 clauis regni a Luc. 11. 52*
calorum penes se habentes, nec ipsi introeunt,
nec alios permittunt volentes intrare.

17 Sequitur argumentum tuum insolubile, quod verè dissolutum est & nullam partem integram habet. *Si Antichristus, inquis, venisset & esset Romanus Pontifex, certò constaret de nomine eius à Ioanne prædicto. At de nomine Antichristi adhuc maxima controuersia est. Igitur Ioannis vaticinium nondum est impletum: proinde Antichristus non venit, nec est Romanus Pontifex.* Propositio verò tua, Bellarmine, non constat. Nam cum Antichristum nobis pluribus indiciis historia sacra describat, quibus ita pingitur vt oculatum hominem fallere non possit, ex illis de Antichristo constare poterit, quantumvis nomen aliquod illius mysticum & arcanum explicari adhuc fortasse non queat. Lateat in obscuro nomen ad tempus: satis prospectum est salutis nostræ, quòd ille nobis innotescit cui nomen illud quodcunq; fuerit, cum in lucem venerit, aptatum iri præmonemur. Neque verò prophetiæ omnes mox atq; impletæ sunt dilucidæ statim omnibus numeris euadunt & cuius obuiæ. Multa dicuntur apud Danielelem, quæ ad priscam historiam spectant, quorū qui certam sententiam se assecutum præsumit, temerarium se forsitan & præcipitem ostendet. Multa dicuntur apud prophetas de Christo quæ jam impleta esse confidimus, quæ tamen ex illa verborum caligine qua teguntur explicare, doctissimorum hominum non exercet modò, sed superat facultatem. Eodem modo multa reor in Apocalypsi de rebus jam præteritis esse conscripta, quæ ita tamen manent occulta & abdita, vt difficillimum sit certam eorum intelligentiam

ligentiam diuinare. Quod non ideo dictum volo, quasi putē nomen Antichristi ex illo numero arcano euolui non posse. Nam abundē, ni fallor, manifestum fecimus numero illo Romanum Pontificem, caput & principem Latinæ gentis & Ecclesiæ demonstrari. Falsum est itaq; quod assumis de Antichristi nomine à Ioanne prædicto non constare. Quanquam enim controuersiam de eodem tu magnam commemoras, illa tamen apud tuos maxime consistit: nostrorum magno consensu definitum est, Pontificis tui gentile nomen quo Latinus siue Romanus, dicitur, illo mysterio contineri. In quo si habes vnum aut alterum à communi reliquorum iudicio dissidentem, haud illud magnum est, quum vix quicquam ita receptum sit, de quo aliter cum probabilitate sentiri posse videtur, à quo non iterdum inter doctissimos vnus aut alterius sententia diuertit: Quanquam in rebus obscuris perscrutandis prodest admodum varias aliter atque aliter sentientium opiniones audiri, quia conflictu illo sententiarum & rationum ianuam plerunq; contingit aperiiri veritai. Quod postquam in hoc ænigmate factum est, clarissima prodiit sententia quam amplectimur & defigimus, Romanum hinc Pontificem indicari. Quare ex fundamentis quæ hactenus iecimus, ego tibi, Bellarmine, argumentum repono, solubile an insolubile penes te actuos esto. Septimus regni latini principatus status est Antichristi: Papatus est septimus status regni Latini: Papatus ergò est status Antichristi. Regni Latini rex septimus est Antichristus:

Pontifex est rex septimus regni Latini: est ergò Pontifex Antichristus.

C A P. III.

Quòd Antichristi sedes in Ecclesia, non Hierosolymis, sed Romæ, esse debeat. Refutantur quæ à Bellarmino in aduersum disputantur cap. 12. de generatione Antichristi, & cap. 13. de sede Antichristi.

LOCVS Antichristi communis est, & proprius. Communis, Ecclesia: proprius, vrbis est & Ecclesia Romana. De illo Apostolus, ^a *sedebit in templo Dei.* Vbi tamen Pontificii templum Hierosolymitanum exponunt, & pertinacissimè defendunt Antichristum ibi regnum habiturum, & in templo illo sessurum. Atque huc testimonia *Bellarminus*, ab obuiis quibusque subsidium petens, auidè conquirat, & modò id dicant, nihil pensi habet quo iudicio, quo argumento dicant. ^b *Ciuitas Hierusalem in æternos cineres collapsa est, vt habet Hieronymus, & templum eius de fundamentis excisum.* Ne ruderæ quidem eius aut ruinæ supersunt, quia compleri necesse fuit quod Christus prædixit: *Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruat.* Ac ne fallat nos opinio templi instaurandi, præmonet nos apertè spiritus sanctus futurum, vt ^c *desolatio illa, velit nolit Bellarminus, ad consummationem & finem usque perseueret.* ^d *Vsque ad finem seculi, ait Theodoretus, consummatio desolationis sine vlla mutatione permanebit.*

^a *Thess. 2. 4.*

^b *Hieron. in Ierem. lib. 4. cap. 19.*

^c *Dan. 9. 27.*

^d *Theodoret. in Daniel. orat. 9.*

manebit. Quod intellexerunt Iudæi quum malis auspiciis e templum sibi reficere tentarunt, ludente Domino conatus eorum, & infanas operas flammis vlttricibus & terræ motibus disturbante. Quo tempore *Cyrillus* Episcopus *Hierosolymitanus* de *f* prophetia Danielis & Christi predictione securus, in eo perstitit nullo modo fieri posse, ut ibi à Iudæis lapis super lapidem poneretur. Porro structura tantæ molis quàm non conueniat cum infinitis illis occupationibus Antichristi quasi vno momento per totum orbem transigendis commodior erit postea dicendi locus, vbi de tempore Antichristi dicturi sumus. Quanquam vt aliud templum admittatur ædificandum, certè quod Antichristus nouo opere, suo nomine, sibi ipsi colendo, quia præter seipsum nullum vt illi volunt Deum agnoscat ædificaturus est, id vt insolentissima dicendi ratione *templum Dei* ab Apostolo appelletur, probabilitatem habet nullam, nec vilo modo potest cum recta ratione coniunctum videri.

2. Quid autem sibi velit *templum Dei* nemo poterit interpretes Apostolo ipso melior, nemo certior inueniri. Ille ergo compellans omnes qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, Ne scitis, inquit, vos esse *templum Dei*? *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Vos estis *Templum Dei* viuentis. Quia namque in templo illo *Hierosolymitano* figura Ecclesiæ præcessit, Apostolus typi nomine ad ἀντίτυπον translato, Ecclesiam ex *viuis lapidibus* constructam

e *Ruff. hist. eccles. lib. 1. cap. 37.*
Theodoret. hist. lib. 3. cap. 20.
f Ruffin. ibid.

g *1. Cor. 3. 16.*
 h *Cap. 3. 16.*
 i *Vers. 17.*
 k *2. Cor. 6. 16.*
 l *1. Pet. 2. 5.*

templum

templum Dei nominavit. Qui ergò templum Dei non aliud quàm Ecclesiam interpretatur, quum Antichristum ait in *templo Dei sessurum*, quid aliud intelligi vult, quàm Ecclesiæ Cathedram arrepturum, & imperandi omnia potestatem sacrilega superbia vsurpaturum? Iam verò aduersùs luculentam Apostoli expositionem de Ecclesia & templo spirituali, quid opponunt alios quoscunque, nullo scripturæ testimonio, sententiam Apostoli ad templum *Hierosolymitanum* referentes? Quod ex Papiæ fœcibus haustum *Irenæus* Ecclesiæ propinavit; primus quod sciam qui fabulam hanc de templo Hierosolymitano scripto prodidisse reperitur. Qui etsi erat vir omni laude dignissimus, & quædam de Antichristo prodidit quæ animaduerti plurimùm debent, tamen dum Papiam nimium admiratur, quædam zizania quoque permiscuit, quæ à tritico dominico sunt circumspecto iudicio se greganda. Aduersùs illum olim vir eloquentissimus ^m *Dionysius* Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus elegantem scripsit librum, teste *Hieronimo*, & inter cætera somnium illud de *instauracione templi* refutauit. Porro *Chrysostomus* etsi noluit opinionem illam de templo Hierosolymitano, propter *Irenæi* fortasse antiquitatem & auctoritatem, omninò repudiare, correxit tamen aliquantulum & rectæ sententiæ tramitem signauit, docens *sessionem* illam in *templo Dei* non ad *templum Hierosolymitanum solummodo*, sed etiam ⁿ ad Ecclesias accomodari debere. Cuius testimonium *Bellarminus* partim ridiculo subterfugio,

*m Hieron.
in Esaiam.
lib. 18. in
prolo.*

*n Chrysost.
in 2. Thess.
hom. 3.*

fugio,

fugio, partim manifesto mendacio eludit. ^o *Veteres*, inquit, *Patres Latini & Græci per aliquot secula nunquam Ecclesias Christianorum templa vocaverunt, sed oratoria vel basilicas, vel Ecclesias, vel domos orationis, vel Martyria.* Quid ad rem, sophista? Esto quòd necdum Christianorum oratoria dicuntur templa? Num te latet Ecclesias Apostolica phrasi dictas esse non ædes aut oratoria, sed ipsos hominum cætus & societates? & in illis sedere Antichristum, quum in illis siue per vim, siue per fraudem spiritualem suam tyrannidem exercet? Quamquam in *P Ecclesie quoque tectis & ædificiis*, ut *p Hilar. lib. con. Arian. & Auxent.* habet *Hilarius*, Antichristus sessurus est potestate regiminis, non actu præsentiae corporalis: & num in illis sedens, quia templa non dicuntur, non sedet in templo Dei, qui habet in illis Ecclesiam & plebem Christianam idolomanis suis & prophanis ritibus obsequentem? Nugas agis *Bellarmino*, & lædis illam quæ de te magna habetur existimationem, qui scopis istis dissolutis ruinas tuas fulcire conaris. Quamquam non nugaris modò, sed etiam palam & apertè teipso conscio mentiris. *In scriptura*, inquis, *Novi Testamenti per templum Dei nunquam intelliguntur Ecclesie Christianorum, sed perpetuò templum Hierosolymitanum.* Cum ergo *Apostolus* scribens *Antichristum sessurum in templo Dei*, diceret aliquid quod velle intelligi ab iis quibus scribebat, & illi tunc non intelligerent nomine templi nisi templum Hierosolymorum, certum videtur *Apostolum* de illo esse locutum. Tu verò *Bellarmino* causam agis turpem, quam tamn red-

dis

q Apoc. 3.
12.

r Ibid. 7. 15.

s Ibid. 11. 19

t Hieron.
ad Algas.
quaest. 11.

u August.
de civ. Dei.
lib. 20. cap.
19.

dis improbè agendo turpiorem. Vide quæso præter illa loca quæ suprâ citauimus, num hæc quoque de templo Hierosolymitano exponenda sint. ¶ *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. ⁊ seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* ¶ *Tunc apertum est templum Dei in celo.* Quæ quum ad sanctorum cœleste palatium & statum Ecclesiæ triumphantis referenda sint, vide qua tu fide dixeris in *scriptura noui Testamenti per templum Dei perpetuò intelligi templum Hierosolymitanum.* Superiora autem illa grauissimè te feriunt, & impudentiam tuam manifestè coarguunt, quia planè conuincunt *Templum Dei* Ecclesiam esse Christianam, & eos ad quos scripsit Apostolus *Templi* nomine in promptu habuisse vt Ecclesiam intelligerent, & vt perierit in æternum templum Hierosolymitanum, stare optimè tamen vt Antichristus in Ecclesia dominationem obtinens, in *templo Dei sedere* dicatur. Vtramque sententiam expendit *Hieronimus*, & nostram confirmat. ¶ *Sedebit in templo Dei, vel Hierosolymis, vt quidam putant, vel in Ecclesia, vt veriùs arbitramur.* Urget *Bellarminus* totis lateribus quod *quidam putant*; relinquit id quod *Hieronimus* librato iudicio secundùm Apostolum iplum *veriùs arbitratur.* *Hieronimo* consentiunt ex veteribus nonnulli qui, referente *Augustino*, Antichristum intelligentes caput & corpus, *sedebit* inquit, *Antichristus in templum dei, tanquam ipse cum suis sit templum Dei quod est Ecclesia.* Vsq̄ue adeo illum in Ecclesia futurum significant, vt etiam Ecclesiæ titulum sibi

sibi ac suis vsurpaturus sit. Quin vt numero quoque testium pares simus qui sumus pondere superiores audiantur & reliqui. Chrysoft. op. imperf. ^x *Abhominatio desolationis stabit in sanctis Ecclesie locis: Theodoretus;* ^y *Dei templum Apostolus appellauit Ecclesias in quibus primam sedem arripiet Antichristus. Ambrosius:* ^z *In domo Domini in sede Christi sedebit. Oecumenius adhuc expressius;* ^a *Non dicit templum quod erat Hierosolymis sed Ecclesias Dei. Nec aliter intellexit synodus Remensis quæ de Romano ipso Pontifice ait;* ^b *Quid hunc in sublimi solio residentem, veste pupurea & aurea radiantem esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens & se ostendens tanquam sit Deus. Anselmus verbis aliquantulum dissentit, re ipsa nihil,* ^c *templum Dei exponens mentes fidelium in quibus Antichristus sedere dicitur, dum eas erroribus suis occupat, & seductione in perfidiam abducit. Aquinas quoque hac in parte noster est, qui reiecta Bellarmini sententia de templo Hierosolymitano,* ^d *exponitur, inquit, in templo Dei, id est in Ecclesia, quia multi de Ecclesia illum recipient, vel secundum Augustinum quod in templo Dei sedeat, id est, principetur & dominetur, tanquam ipse cum suis nuntiis sit templum Dei, sicut Christus est cum suis. Noster est postremò Ioannes Ferus concionator Moguntinus:* ^e *Templum Dei in mundo fidelium Ecclesia est. In hoc templo futuram prædicit Christus abhominationem antequam mundus finiatur. Quare non nisi vmbra est*

x Chrysoft.
op. imperf.
hom. 49.

y Theodoro-
ret in 2.

Theff. 2.

z Ambros.
in 2. Theff.
2.

a Oecu-
men. ibid.

b Synod.
Remensis.
cont. Ar-
nulp. 2. cap.
28.

c Ansel. in
2. Theff.
cap. 2.

d Thom.
Aquinas. ib.
lect. 1.

e Ferus in
Matt. cap.
24.

§ August.
de civ. Dei.
li. 20. ca. 19.
§ Chrysoft.
in ope. im-
per. ho. 42.

est *Bellarmini argumentum insigne*, ut ipse appellat, quo Romanum Pontificem ait Antichristum esse non posse, quia *sedes eius non est Hierosolymis & in templo Solomonis*: non ab alio principio profectum, quam quod patribus aliis *incertum & dubitabile*; aliis temerarium ut vidimus, & falsum visum est. Nos autem Apostoli vestigia sequentes, qui auctoritate diuine vocis *templum Dei* Ecclesiam esse confirmat, ex iis quæ dicta sunt sine vlla ambiguitate concludimus, Antichristum non foris apud Iudæos & Ethnicos, sed in ipsis Ecclesiæ intestinis esse metuendum, utpote qui primarium in Ecclesia locum arrepturus sit, Christi sedem occupaturus, tanquam vicariam illi operam præstiturus, sibi ipsi denique & suis peculiari quodam titulo nomen Ecclesiæ tanquam honorificum inscripturus.

3 Et quidem Bellarminus paululum tandem expergiscens aliquousque agnoscit quod volumus, sed ludit ambiguitatibus, & legentibus illudit, & quodammodo veretur dicere quod se tamen sentire palam ostendit, *Verum est*, inquit, *sessurum Antichristum in Ecclesiis Christianorum*. Id verò quid tandem est? *Iubebit*, inquit, *omnia templa totius mundi conuer- ti in cultum suum, & in eis seipsum adorari faciet*. Quid? & hoc est, Bellarmine. quod patres agnoscunt sessurum Antichristum in Ecclesia Dei? Num tibi Mahometes in Ecclesia sedere videtur quia templa quæ erant olim Christianorum occupauit, & Turcicis superstitionibus impiè repleuit? Næ tu sopheram
agis,

agis, qui alterum horum ex altero interpreta-
 ris.^b *Ecclesia*, inquit Augustinus, *locus dicitur in* h August.
in Lexic.
quest. 57.
quo Ecclesia congregatur. Inde Apostoli qui, te i-
 pso teste, *templa non habebant, sed solum in pri-
 uatis domibus loca quædam orationi & concioni*
destinabant tamen eadem loca * *Ecclesiarum* * 1. Cor. 11,
18.
 vocabulo nuncuparunt, quæ iterum cum usu,
 simul quoq; nuncupationem illam amiserunt.
 Itaque ædes illas quas inuaserunt Barbari, & ad
 sacra sua sacrilega conuerterunt, *templa* qui-
 dem dicimus communi nomine, sed *Ecclesias*
Christianorum non dicimus, postquam ab usu
 Christiano abrogatæ sunt. Num tu præter æ-
 dium illarum aliquam transiens dixeris, *Hæc*
est Ecclesia Christianorum? Quin vt illæ olim,
fuit Ilium & ingens Gloria Teucrorum, &c. At i Virg. Æ-
neid. lib. 2.
nunc incensa Danai dominantur in vrbe: ita tu
 dicendum putaueris: En hæc ædificia splendida
 & magnifica, olim *Ecclesias* fidelium, nunc lu-
 stra dæmonum & fana profana Paganorum.
 Sessurus est ergò Antichristus in *Ecclesiis* Chri-
 stianorum, non quia ædificia vsurpabit quæ e-
 rant olim Christianorum; sed quia in publicis
 dominabitur conuentibus eorum qui se et-
 iamnum Christianos veteri vocabulo profiten-
 tur. Quod erit adhuc luculentius, si mentem
 suam nobis eloquatur Bellarminus. Dic sodes
 apertè, noli *Ecclesiarum* homonymia te tege-
 re; num in *Eccelesia* sedebit Antichristus? Hoc il-
 le timidè quidem, sed vtcunque tamen infer-
 cit, *sedebit in Ecclesia*, inquit, *non tamen vt epi-
 scopus, sed vt Deus*, Benè habet, sedebit ergo in
Ecclesia. Et quid tu tum affers paulò ante Cyril-
 E lum

lum & Damascenum planè negantes Antichristum in Ecclesia esse sessurum? sed hoc agis more tuo, qui prolixas sæpè disputationes, mox operam atque oleum vltro perdens, vna qualitura prorsus euertis. Accipimus autem quod dicis, *sedebit Antichristus in Ecclesia Dei.* Erit ergo Ecclesia Dei in qua sedebit, hoc est, vt Aquinas tuus exponit, *principabitur & dominabitur* Antichristus. Hic te, Bellarmine, constrictum habemus, nec habes qua fugias. Antichristus in media Ecclesia regnabit, & se principem constituet eorum, qui quia sunt Ecclesia Dei, Deum se colere, & Christo nostro confidere præ se ferent. Neque enim Ecclesia Dei dicenda est, quæ explosa Christi fide, prorsusque abrogato Dei nomine aliud sibi numen accommodat, & se nouo dogmati captiuam tradit. Quid enim? num Ecclesiæ vocabulo communicant gentes illæ, quæ quum essent olim Christianæ, nunc in Mahometi cineribus & superstitione sepultæ sunt? Minimè id quidè. Nec erit ergo Antichristo Ecclesia Dei, quæ Deum abdicabit, & fidem Christi penitus extinguet. Sedebit autem Antichristus in Ecclesia. In illis ergo dominabitur, qui se Christianos agnoscent, & baptismi ritu veteri in externam Ecclesiæ societatem coalescent; eodem planè modo quo Arianismus olim sub titulo Christianismi omnes penè totius orbis Ecclesias occupauit.

4 Neque verò mouemur sophismate tuo, Bellarmine, qui nos, quia Pontificem in Ecclesia sedentem agnoscimus, & à vestra tamen

commu-

communione segregamur, ideo schismaticos
 & Ecclesia extorres esse calumniaris. Neque e-
 nim Gallicana ditione excedit qui ob pestilen-
 tiæ contagionem relictis Parisiis Lugdunum
 se confert, vbi aëre vescatur salubriori: neque
 nos Ecclesia excessimus, quia Romana peste
 renunciata, salutaribus Euangelii hortis in am-
 bulare maluimus. Ecclesia vniuersitas est o-
 mnium vndis Ecclesiæ tinctorum, & Christo
 domino quoquo modo seruentium. Cu-
 ius partes aliæ saniores sunt; aliæ languescunt
 febribus; aliæ lethalibus morbis, vt Romana
 tua, & certissima morte conflictantur. Non id-
 eò discessimus ab Ecclesia, Bellarmine, quia
 sentientes nos ab aëre vestro putrido periclita-
 ri, puriores auras appetiuimus: erat animus fu-
 gere duntaxat contagiones vestras; in Ecclesia
 verò, Deo iuuante, per veram Christi fidem
 perpetuò permanere. Et quidem eandem nos-
 met Ecclesiam profiteamur quæ olim fuimus,
 nec aliam, sed alteram duntaxat, quia perpur-
 gatam vepribus & spinis quibus vineam do-
 mini perfidia vestra consererat: eandem,
 sed Romanæ iugo tyrannidis & superstition-
 um vestrarum laqueis, miserante Deo, fæli-
 cissimè liberatam. Denique eodem modo
 Ecclesia est in qua sedet Antichristus, quo erant
 olim Iudæi ^k populus Dei, quando se spurcissi-
 mis idololatriis inquinatissimos reddiderunt; *k Ier. 2. 11.*
 & nos haud magis schismatici ab huius Ec-
 clesiæ perfidia discedendo quàm pii è Iu-
 dæis, qui sanioribus vfi consiliis & prophe-
 tarum monitis obtemperantes, à nefaria

se idololatrarum societate segregarunt. Intelligis ergò, Bellarmine, quàm nihil officiat causæ nostræ, quòd Põtificem vestrum, licèt in Ecclesia sedentem, deseruimus, neque schismate reos teneri, qui sacrilegia vestra quibus perniciæ continetur animarum certissima detestamur. Sed tu Pontifici tuo bellè consultum putas vbi addis: *sedet in Ecclesia, non tamen vt episcopus sed vt Deus.* At te responsio ista quid iuvat, si disparata tua coincidunt, & qui est loco quidem suo duntaxat episcopus, deitatem tamen assumat, & se quasi Capitolinum quendam Iouem impudenter ostendet? Id ita esse postea videbimus; nunc quod huic loco proprium est agemus, vt somnium illud de templo Hierosolymitano pro sede Antichristi per errorem substituto conuellamus.

1 Apoc. 17.
9. 18.

6 Proprius ergò Antichristi locus distinctè notatur *septimontana* civitas, illa inquit, *magna, quæ regnum habet super reges terræ.* Vbi clarissimum est Romanam civitatem quæ sola *septem montibus* celebrata est, & sola tunc orbis imperium habebat, sedem & solium purpuratæ meretricis, id est, Antichristi designari. Nam cum Antichristus septimum caput sit illius bestię, cui toti septicolis Romana ciuitas sedes & caput imperii constituta est, quid aliud quàm sponte cæcutiunt, & ipsi sibi oculos vtrò euellunt, qui reliqua capita regum Romanorum (sic enim omnes promiscuè à regnando vocantur) loco suo permittunt; solum Antichristum ablegant, qui sibi vel Hierosolymis vel vbi vbi hospitium paret? Res aperta est; quid

quid moramur? Bestiæ septem capitum sedentis in septem montes, hoc est, in vrbe Romana septimontana dominantis, caput septimum est Antichristus. Romæ ergo sedebit & dominabitur Antichristus. Bestiæ pars est: proinde à loco bestiæ, qui septem montibus indicatur, discedere non debet. Id verò præterquam quod luce sua in oculos incurrit, suffragatores habet antiquissimos scriptores, qui Romam interpretantur *Babylonem* illam, quam quasi iumentum Antichristo portando seruituram sacræ literæ prodiderunt. Tertullianus, *m* *Babylon*, inquit, *apud* Ioannem nostrum *Romanæ* urbis figuram portat, *perinde* & magna, & regno *superbæ*, & *Sanctorum* debellatricis. Hieronymus quoque, *n* *Romanum*, inquit, *imperium* æternum putant. Vnde secundum *Apocalypsin* Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemie, id est, *Romæ æternæ*. & ad Marcellam de vrbe Roma sermonem habens: *o* *Lege*, inquit, *Apocalypsin* Ioannis, & *quid* de muliere purpurata, & *scripta* in eius fronte blasphemie, septem montibus, aquis multis, & *Babylonis* canteatur exitu contuere. De quo loco Ludouicus Vives: *p* Hieronymus ad Marcellam scribens, non aliam existimat describi à Ioanne in *Apocalypsi* *Babylonem*, quàm *urbem* *Romam*. Et idem alibi Hieronymus *Romam* nominatim & expressè compellans, *q* *Maledictionem*, inquit, *tibi* *Saluator* in *Apocalypsi* *comminatus* est. Vbi verò tandē nisi prophetiam illam de Antichristi Babylone ad Romanam ciuitatem pertinere statuamus? Hic verò Bellarminus: *Mirabilis* est impuden-

m Tertul.
cont. Iu-
deos, & lib.
3. cont.
Marcio-
nem.

n Hieron.
ad Algas.
quest. 11.

o Idem e-
pist. ad
Marcel-
lam.

p Ludouic.
Vives in
August. de
ciuit. Dei
lib. 18. cap.
22.

q Hieron.
aduer. Iu-
uin. lib. 2.

tia hereticorum, qui ut probent Ecclesiam Romanam esse purpuratam meretricem, utuntur Tertulliani & Hieronymi testimonio. Quid ita verò? Nempe authores illi intelligunt Romam Ethnicam & idola colentem, non Romam Christianam. At nondum es elapsus Bellarmine. Vtrique namque Romam affirmant Babylonem illam esse quam describit Ioannes in Apocalypsi. Est autem ¶ Babylon illa quam describit Ioannes in Apocalypsi, teste Sanderò, sedes & ciuitas Antichristi. Roma ergo sedes est & ciuitas Antichristi. Tu verò ipse fateris " per meretricem intelligi Romam, sed non aliam vis Romam quàm Ethnicis imperatoribus seruientem. At num tu cæcus es, & non vides eandem ibi describi sedem totius, vt ante diximus, bestię? eandem ergò sexti capituli & septimi; hoc est, Imperatoris & Antichristi. Erat autem Roma sedes imperii; Roma ergò sedes Antichristi. Et illi quidem Patres de quibus agimus nescire non poterant, vbi de Babylone agitur apud Ioannem, agi de sede Antichristi. Vtrique verò Antichristum post sua tempora venturū senserunt. Senserunt ergò Romam non de præterito tantum sub Imperatore ethnico, sed etiam de futuro sub Antichristo Babylonem appellari. Hieronymus autem cum vaticinium illud de exitu Babylonis ad Romanam urbem accommodat, quod extra omnem controuersiam de sede Antichristi omnes intelligunt, Romam esse Babylonem & sedem Antichristi, absque vlla circuitione contestatur. Quòd si qui olim inuenti sunt, qui Antichristum in illis

Ethnicis

q Sander.
 Visib. Mo-
 narc. lib. 8.
 demon-
 strat. de
 Antich. 38.
 r Cap. 5. &
 13.

Ethnicis imperatoribus extitisse judicarunt, quod de *Nerone* quidam putarunt, hac quidem in parte nihil offendunt causam nostram. Nam ut fefellerit eos Antichristi persona, certe locus non fefellit. Viderunt Antichristum, siue extraneus is esset, siue domesticus: siue de foris Ethnicus, siue de Ecclesia pseudochristianus, quicumque demum esset, cathedram suam & regni sedem Romæ habiturum. Quod & Anglorhemenses nostri timidè quidem & perturbato anhelitu, sed tamen aliquo modo submurmurant: *fieri posse haud incommode, ut* (Anglorhemenses. in Apoc. 17. 5. 5.) *magnus ille Antichristus Romæ sedem suam habeat.* Edicant quod sentiunt, & clarè loquentur Romam esse sedem magno illi Antichristo destinatam. Sed expressit illis inuitis testimonium hoc euidencia rei quibus alioqui ἀποδεικτικόν est, Antichristum Hierosolymis sessurum: proinde Romanum Pontificem Antichristum esse non posse. Ita resorbent vomitum suum, & veritatè quam interdum incauti propugnant, mox quasi vertigine quadam impulsæ denuò expugnant. *Naturam expellas furca licet, usq; recurret.* Sed quiddam amplius viderunt Patres illi qui ante annos prope septingentos Romam iam tum à Pontifice occupatam *Babylonem esse* dixerunt à *sacris vatibus* (Auent. Annal. lib. 4.) *nominatam, utpote inquit, quæ diuinitatem usurpat, cælo se æquat, se æternam fore, neque unquam errasse aut errare posse gloriatur.* Porro meminertint *Sybillam* suam quæ Antichristum regem quendam describit alba infula insignem Ponti nomen habentem (ut *Pontificem* agnos-

v Sybilla
carmina.

scas albam infulam de more gestantem) sedem illi^m *prope ripam Tybridis*, id est, Romæ collocasse. Quare cùm satis superque manifestum sit Antichristum in Ecclesia dominaturum, & porro Romam quoque Metropolin & regni sui sedem potissimum habiturum, caput eum Romanæ Ecclesiæ futurum necesse est; & proinde optimè constat hactenus, quod proposuimus, Romanum Pontificem esse verissimè Antichristum.

6 *Bellarminus* tamen vt sententiæ suæ colorem inducat, duo nobis affert scripturæ loca, quibus euincat non Romæ sed Hierosolymæ Antichristi sedem esse futuram. Alter est *Apoc. 11. corpora testiũ*, quos Antichristus occidet, *iacebunt in plateis magnæ ciuitatis quæ spiritualiter dicta est Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est. Hæc, inquit, de Ierusalem dici negari non potest: quæ enim ciuitas est ubi Dominus crucifixus est nisi Ierusalem?* Siste verò paululum, *Bellarmine*, & alium tibi sensum *Ioannes* expediet optimus ipse interpretis animi sui. Locum verò ponamus integrũ, & manifestior illius explicatio sit: *Et quum consummauerint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abyssu, faciet aduersus eos bellum, & vincet eos & occidet eos, & cadauera eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est.* Bestiam in primis constat hîc & *Apoc. 17.* eandem intelligi, quæ vtrobique iisdem verbis describitur; *Bestia quæ ascendit ex abyssu.* Sedes ergo bestię huius non alia esse debet quàm quæ

x *Apoc. 11.*
7.

y *Apoc. 11. 7*
& *17. 8.*

quæ ibi narratur. Ibi verò sedes bestię *septem montium* celebritate definitur. Septem montes proprii sunt, vt antè vidimus, Romanæ ciuitatis : Roma ergo sedes est bestię per quam duo illi testes occidendi sunt. Quare qui hîc commemorat *plateas magnæ ciuitatis*, exponit ibi quam appellet *magnam ciuitatem*: *Magna*, inquit, *ciuitas quæ regnum habet super reges terræ*. Erat autem Roma, non Hierusalem quæ regnum habebat super reges terræ. Et illa quidem *spiritualitèr* dicta *Sodoma*, propter nefandas fornicationum turpitudines & superstitionum vices abhominandas : & *spiritualitèr* *Agyptus* propter tyrannidem, qua Ecclesiam semper oppressit & modò fornacibus suis idolâtricis seruire compellit. Et hæcenus quidem aperta sunt omnia. Quod sequitur, obscurius videtur, *ubi Dominus noster crucifixus est*. *Quæ est enim ciuitas*, ait Bellarminus, *ubi Dominus noster crucifixus est, nisi Ierusalem?* Atqui appone quod oportet *spiritualitèr*, & Romæ quoque Dominus noster crucifixus est, nempe non naturali corpore, sed mystico & spirituali. Christus enim induens se in corpus Ecclesiæ, ^{2 2. Cor. 4.} *suam mortem esse pronunciat,* ^{10.} *suas passiones,* ^{a Phil. 3. 10.} *ignominiam suam,* ^{b Heb. 13. 13} *suâ stigmata quæcunque* ^{c Gal. 6. 17.} *fidelibus propter nomen eius & fidem illata* ^{d Act. 9. 4.} *sunt. Inde vox eius è cælo,* ^{* Origen in} *Saul, Saul, quid me* ^{Jer. hom. 11.} *persequeris? Inde Origines: * Per singulos Marty-* *res Iesus condemnatur. Si condemnatur Christianus pro hoc tantùm quod Christianus est, Christus est qui condemnatur. Qui ergò Romanam ciuitatem agnoscimus, ebriam sanguine sanctorum,*

e Tertul.
Apologes.
cap. 5.

ſ Ibid. cap.
39. & ex-
hort. ad ca-
ſſis.

g Ambros.
lib. 5. Epist.
3. in orat.
cont. Au-
gustinum.

quorum in cruce Christus crucifigitur, quo-
rum in morte Christus moritur, quid dubita-
mus quin Romæ quoque Dominum nostrum
crucifixum esse dicamus? Ibi Nero^e dedicator,
ait Tertullianus, *damnationis nostræ*, qui primus
publicata lege perfecit vt insanus populus tu-
multuosè Christianos occideret, *f Christianos*
ad bestias conclamaret. Inde secutæ ducento-
rum & amplius annorum clades, illius vr̄bis im-
perio & authoritate subinde repetitæ, vt Ro-
mam sciamus præ vniuerso orbe cæde marty-
rum & sanguine nobilitatam, & proinde Romæ
Dominum singulari quodam modo esse cruci-
fixum. Quòd si tu nescias, *Bellarmino*, alibi Chri-
stum quàm Romæ esse crucifixum, docebit te
Ambrosius, qui narrat^g *Petrum Romæ à gentili-*
bis requisitum ad necem: rogatum autem à fideli-
bis vt paulisper cederet, & ad instituendum &
confirmandum populum se reseruaret. Quid mul-
ta, inquit, Nocte muro egredi cæpit, & videns sibi
in porta Christum occurrere, urbemq; ingredi, ait,
Domine quo vadis? Respondit Christus: venio Ro-
mam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad crucē
suam dominicum pertinere responsum, Christus e-
nim non poterat iterum crucifigi, qui carnem pas-
sione susceptæ mortis exuerat. Intellexit ergo Pe-
trus quòd iterum Christus erat crucifigendus in
seruulo. Itaq; sponte remeavit: interrogantibus
Christianis responsum reddidit: statimq; correptus
per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.
Qui ergò in *Petro* crucifixo Dominum crucifi-
xum intelligis, Romæ Dominum crucifixum a-
gnoscas oportet, quia Romæ *Petrus* est cruci-
fixus.

fixus. Itaq; nihil te juuat hic locus, quia non impedit hæc clausula quin Roma hîc intelligi commodè possit, & superiora illa confirmant necessariò intelligi oportere.

7 Posterior tantundem: *secundus*, inquis, *locus est Apoc. 17. ubi Ioannes dicit decem reges qui sibi diuident Romanum imperium, & quibus regnantibus veniet Antichristus, odio habituros purpuratam meretricem, id est, Romam, & eam desolatam facturos atque etiam igne crematuros. Quomodo ergo erit sedes Antichristi, si illo ipso tempore debet euerti & comburi?* Miror te verò Bellarmine, quo es in citandis scripturis infortunio, à scripturarum testimoniis non penitus abhorre. Itane vt tu te confodias, & jugulum Pontificis tui quem defendere simulas, tanquam acutissimo ferro præcidas? *Purpuratam meretricem* tu Romam agnoscis, *Bestiam Antichristum*. At eidem couenire certum est *Bestiam & purpuratam meretricem*. Qua in re si nobis non credis, tuis tamen Anglorhemen-
 sibus crede, quibus vnum & idem sunt ^h *meretrix & Bestia & Antichristus*. Crede Ioanni Fe-
 ro: *Abominationem desolationis (quæ est regnum Antichristi) Ioannes in Apocalypsi nunc quidem per Bestiam illam cui draco potestatem suam dedit, nunc autem per mulierem Bestiæ insidentem, ac de vino prostitutionis omnes gentes potantem intelligit.* Aut si illorum sententiæ non acquiescis, Ioannes te docebit qui vbi *mulierem siue meretricem ait sedere super Bestiam*, k *Apoc. 17. 3. 7.*
 si corpus siue complexum efficere *bestiam & meret-*

h Anglorhemen.
 Annotat.
 in Apoc.
 cap. 13. v. 1.
 i Ferrus in
 Matt. cap.

24.

k Apoc. 17.
 3. 7.

meretricem. Quòd si idem fouent meretrix & bestia, certè Roma quæ te fatente sedes est purpuratæ meretricis, per te quoque necesse est sedes intelligatur Antichristi, Vis vt dicam verbo? Bestia principatus est & regnum septimontanæ, id est, Romanæ ciuitatis, & Antichristum complectitur principatu illo suo ordine potiturum. *Mulier* siue *meretrix* vrbs ipsa Roma est, quæ regno illo & principatu gentium omnium quasi ceruicibus superuecta est. Nec ista tu multum abnuis, qui *bestiam* Romanum imperium, *mulierem* urbem Romam interpreta- ris. Quæso te jam; Antichristus qui bestia tam affinis est, à muliere sedente super bestiam alienus esse quæ potest? At inquis, *reges quibus Romanum diuidetur imperium, & quibus regnantibus venit Antichristus, desolatam facient purpuratam meretricem: quomodo ergo erit eodem tempore sedes Antichristi?* At qui animaduertendum tibi erat, reges illos qui *meretricem desolatam facient*, prius potestatem suam bestia tradituros, eidem scilicet, vt dictum est, purpuratæ meretrici; id enim dedisse Deum in corda illorum vt dent regnum suum bestia donec consummentur verba Dei. Quibus impletis, & consummato Dei iudicio quo ingratum orbem ob non receptam veritatis dilectionem flagellabit, reges illi, eodem instigante Deo, meretricem cui se ante subdiderant odio habebunt, & eam iam desolatam igne cremabunt. Vna est ergo & eadem siue meretrix siue bestia, cui primò potestatem suam daturi sunt, & quam postea desolatam igne cremabunt. Est autem Antichristi prin-

1 Apoc. 17.
13. 17.

principatus cui primò potestatem suam daturì
sunt: est ergo Antichristi regnum quod postea
subuertent. Roma est autem quam subuertent:
Roma ergò regnum est & sedes Antichristi.

8 Quòd si nondum ista satisfaciant, assumo
iterum quod inuitus fateri cogeris, Romam es-
se purpuratam meretricem, & fundamento
tuo structuræ tuæ ruinam superstruo. Ac pri-
mùm quidem illud patet, desolationem mere-
tricis quæ cap. 17. notatur, sequenti capite latif-
simè describi. Qui ergo meretricem desolan-
dam Romam intelligis, aut Ethnicam intelligas
oportet, aut sedem Antichristi. Tu quidem Eth-
nicam illam semper inculcas: sed quì id tandem
hìc constare poterit? Nam iam olim Ethnici-
smus Romæ disparuit, & illa nunc ad Christum
tota conuersa Ecclesiæ nomine superbissimè
gloriatur. Et num Ecclesiæ tuæ propter vete-
rem Ethnicismum perditionem illam irrogan-
dam arbitraris? aut propterea ^m *Apostolos & pro-* *m Apoc. 18.*
phetas de tanta Ecclesiæ vastitate *exultare* iube-
ri? An quia erat olim Roma Ethnica, ideo qui
gentilitate calcata Christianum nomen profi-
tentur, diris illis vltionibus exponuntur, & Titij
perfidiam Sempronius luit? Nunquam dixeris.
Restat ergo vt alteram Romam intelligas se-
dem Antichristi. Neque enim aptabitur Eth-
nicismo olim abolito vox illa, qua Babylonis,
hoc est, Romæ, vt tu ais, iam perdendæ com-
mercium omne prohibetur: ⁿ *Exite de illa, po-* *n Vers. 4.*
pus meus, vt ne participes sitis delictorum eius,
&c. Nec illa qua populus dei ab illa Romana
Babylone secretus iubetur ^o *reddere illi sicut red-* *o Vers. 6.*
didit:

p Vers. 9.

didit ipsis, & duplicare ei duplum secundum opera eius. Vbi verò sequitur: *P* flebunt & plangent se super illam reges terræ qui cum illa scortati & luxuriati sunt; illam Romam notat cum qua fornicati sunt reges terræ iidem ipsi qui ruina eius deplorant. Notat ergò sedem Antichristi: Num tu enim existimas reges illos qui cum Roma Ethnica fornicati sunt resuscitandos esse, qui Romæ Christianæ acerbum exitum deplorent? Id si sit absurdum, vt est, haud aliam poterimus Romam perdendam intelligere quàm sedem Antichristi.

q Cap. 12.

Antichristus erit Iudæus, inquis, & Iudæorum Messias & rex; ergo sine dubio sedem suam constituet in Hierusalem, & Templum Solomonis restituere aggredietur. Propositionem explicas latiùs *Cap. de generatione Antichristi.* Ibi 9 duo tibi certissima sunt. *Vnum, Antichristum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis tanquam Messiam recipiendum: alterum, ex gente Iudæorum nasciturum, &c.* Id verò vnde certissimum? Scilicet ex *Evangelio Ioannis, Vbi Dominus dicit Iudæis; "Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Atqui locum illum de Antichristo nihil euincere supra docuimus, & tu te hominem ostendis malæ fidei, qui testes non nisi mutos per ludibrium affers, nihil pro causa tua dicentes, nisi quod tu inuitos illos dicere compellis. Atque ita peccas in altero loco quem auxiliarem adducis ex Apostolo,*

postolo, secunde ad Thessal. secundo; Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fiant, ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, &c. Res ipsa clamat, inquis, Apostolum loqui de Iudæis. Ipse enim dicit Antichristum mittendum ad eos qui Christum recipere noluerunt. Qui sunt autem qui magis debuerunt & noluerunt Christum recipere quàm Iudæi? Immo Bellarmine, res ipsa clamat, improbè à te perverti locum Apostoli, & ego te perfidiæ tuæ testem produco. Itaque locum velim primò integrum accipias. *¶ Cuius (Antichristi) aduentus sc. 2. Thess. 2. est secundum operationem Satane, in omne virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut iudicentur (scilicet * iudicio damnationis) omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in iniustitia.* Vbi animadvertendum tibi esset, perire illos & damnari quos ab Antichristo seducendos narrat Apostolus, & eò Deum illis vim illam immittere illusionis & imposturæ, ut damnentur. Tu verò Iudæos Antichristum tuum suscipientes affirmas^t ab Enocho & Elia convertendos, ac proinde nequaquam perituros. Quid ergò? Pereunt & damnantur de quibus loquitur Apostolus: Secundum te Iudæi non pereunt, sed convertuntur & saluantur. De Iudæis ergò Apostolus intelligi non potest. Manifesta res est. Nam horrendam Apostolus iram Dei denunciat exarsuram ad æternam perniciem eorum

* Tho. Aquin. in eundem locum.

t Cap. 6.

de quibus ait, *Mittet illis Deus efficaciam illusionis, &c.* At Iudæis, secundum Bellarminum, Antichristi aduentus non iram damnationis, sed occasionem salutis afferet. Quare ut mille nobis interpretes adducas locum hunc de Iudæis exponentes, nihil effeceris, qui ipse dogmate tuo illorum omnium sententiam subuertis.

10 At, inquis, *qui sunt qui magis debuerunt & noluerunt Christum recipere, quàm Iudæi? Æquè inquam, reliquus orbis dilectionem veritatis recipere debuit, & non recepit. Veritas quidem per orbem propagata est, & diuinissimis testimoniis atque argumentis comprobata: sed dilectio veritatis quàm citò refriguit? quantus quàm citò locus est habitus superstitionibus & malis moribus quibus eneruata est pietas, corrupta fides Christi, & religio maior humanis placitis quàm institutis Evangelicis attributa! Videns Augustinus afflictissimis temporibus suis quàm parum Deus apud ingratum mundum proficeret, " Quid mirum, inquit, si Christianis temporibus mundus iste tanquam seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulat multis? Erant qui tantorum malorum causam in Evangelii prædicationem & religionem Christianam coniicerent: ille verò in contemptu Evangelii & hominum improbitate constituens, ^x Attendunt, inquit, quanta celeritate Euangelium prædicatur, sed non attendunt quanta peruersitate contemnitur. Hac ratione via munita est apostasiæ illi quam Apostolus in Ecclesia venturam prædixit. Qua mundi*

u August.
epist. 121.

x Ibid.

mundi peruicacia offensus Deus, immisit illam quam narrat Apostolus *efficaciam illusionis*, vt qui tantam gratiam aspernati fuerant, & in luce Domini ambulare neglexerunt, iustissimo Dei iudicio cæcitate percussi palpant in tenebris, & reprobo sensu quasi fascinati, mendacia pro veritate, & pro Christo Antichristum sequerentur. Id quod tibi, *Bellarmino*, ac popularibus tuis contigisse videmus, qui nescio quo stupore ad clarissimam lucem caligatis & insano furore aduersus Iesum Christum, & ipsum conscientia vestra dictamen eadem amentia, qua olim Pharisei, depugnatis. Neque enim dubitamus quin fluctuarit tibi animus, & secum quodammodo pugnarit, dum ista tua nobis dictata prodidisti. Quis enim fieri posset, vt tam multa tu tam aperte, & primo quasi vultu falsa conscriberes, quin te pungeret aliquando stimulus mentis tuæ, & tibi Gigantum more cum cælitibus bellum gerenti reclamitaret? sed tibi *Petri* nomen & Ecclesie præiudicatus error, & splendor ille Pontificius sensum & mentem eripiunt, & spes aliqua fortasse rerum tuarum animum ad hanc insaniam obdurat, ne villo modo manifestæ licet veritati cendum putes. Quare haud opus erat Antichristum ad Iudæo faceffere, cum domi habeas experimentum huius iudicii, in quo causa tibi est, si cogites, vt totis artibus de te ipso contremiscas.

II Quod autem addis. *Apostolum non dixisse, quia veritatem non recipient, sed quia non receperunt, quasi loquatur de illis qui predicante*

Christo & Apostolis credere noluerunt, consuetam tuam vanitatem sapit. Tu verò non ignoras Apostolum, accommodato ad tempus Antichristi sermone, percommode locutum esse in tempore præterito, quod tamen ad sua tempora futurum intelligi debuit, eodem omnino modo quo Christi verba legit vetus interpres: *Procedent qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Neque enim tam insanis, vt putes intellectos ab illo eos tantum, qui ante Christum ista loquentem bona vel mala fecerunt, eò quod præterito tempore Christi sententiam enunciat, sed vbi iudicium iam aduenerit, tunc qui *bona fecerunt*, prodibunt ad resurrectionem vitæ, &c. Ita hîc Apostolus Antichristi aduentum seductionem mirabilem apportaturum narrat iis, quos tum deprehendet non *recepisse* dilectionem veritatis vt salui fierent. Atque istos habuit Antichristus paratos ad se recipiendum, & illum in regnum suum prouehendum, vt Iudæorum exercitu & satellitio nihil opus esset. Postquam enim pertæduerat iam homines sub Christi iugo viuere, & superstitionibus suis atque idololatriis aliquid per fas & nefas indultum volebant, cupidissimè Romanum Pontificem amplexi sunt, qui se perfidiæ ducem & antesignanum præbuit; qui nactus ministros regni sui, paulatim se in illam qua erat postea magnitudinem & sublimitatem euexit. Iudæos autem vt putemus Antichristum recipere paratos nulla ratio persuadet, quum illis Christus exosus sit; Antichristum autem

constet

y Ioan. 5.
29.

constet Christi nomine gratiam sibi facturum & perfidiam suam occultaturum, ut antè diximus, & postea plenius, Deo volente, dicturi sumus. Denique iam antè peruisum est Antichristum ex *bestiana* nasciturum, & Latinum siue Romanum regem esse oportere. Proinde commentum est & fabula quam narras, Iudæorum illum regem futurum, & ab illis pro Messia accipiendum esse.

12 Iam quod secundo loco ait certissimum esse, *Antichristum fore Iudæum & circumcisum*, rationem habet nullam, probabilitatem nullam, nec aliundè quàm ex nugis hæreticarum speculationum primò desumptum est. Adducit ille veteres quosdam ita sentientes; sed quo argumento, quo Scripturæ testimonio inducti ut sentiant? Tantùm ita sentiunt, sententiæ suæ rationem non habent. Et illi quidem Antichristum Iudæum fore persuasum habebant, quia putarunt Scripturis quibusdam insinuari, futurum illum de *tribu Dan*. At *illarum Scripturarum nullam hoc conuincere* Bellarminus agno- z Cap. 11.
scit & laborem illum nobis superuacuum fecit. Quòd si illæ scripturæ non couincunt eum futurum de *tribu Dan*, de cætero nihil est quod illum Iudæum fore confirmet. Vbi attendendum est quanto iudicio Bellarminus *probabile tantùm* esse ait, *propter Patrum auctoritatem*, Antichristum futurum de *tribu Dan*, certissimũ verò esse, & non nisi propter Patrum auctoritatem, quòd Iudæus futurus sit, quum non aliunde Patribus suspicio nata sit quòd Iudæus futurus esset, quàm quòd futurus putabatur

de tribu *Dan*. Perinde verò loquitur ac si Patres prius illud se scire denunciarent, posterius non se scire dicerent, sed tantum probabile esse insinuarent, quum probè sciat vtrumq; ab illis pari momento esse traditum, nec magis se scire dicant Antichristum Iudæum fore, quàm futurum illum de tribu *Dan*. Proinde cùm nihil certum illis erat quo constaret Antichristum fore de tribu *Dan*, nihil certum esse potuit ex quo illum Iudæum fore præsumerent, quia nihil omnino hac de re in Scripturis habebant, præterquam quod perperam interpretati sunt de tribu *Dan*. Quàm verò haud certum illis fuerit Antichristum fore Iudæum, ex *Ambrosio* intelligere licet, qui incerta sententia rem dubiam suspendit; ^a *Aut ex circumcissione illum aut circumcisum venire sperandum est. Qui verò illum in Ecclesia, ut vidimus, sessurum, & se ac suos pro Ecclesia iactaturum interpretati sunt, haud opinor Iudæum fore senserant, aut quicquam ex professo cum Mosaicis ceremoniis commercii habiturum. Quare stultè agis, Bellarmine, qui ex his habere te, ais, evidentissimam demonstrationem, quòd Papa non sit Antichristus, quia scilicet illum constat Iudæum non esse. Nam cùm certa sint omnia quæ affirmas, & firmamentum omninò nullum habeant; quì tibi demonstrationem suppeditare poterunt quæ nisi ex principiis certis & indubitatis, & nisi quis niuem nigram insanus dixerit, omni exceptione maioribus proficisci non potest? Ego verò melioribus principiis & certioribus argumentum tibi oppono ex iis quæ ha-*
 ctenus

a *Ambrosius* in 2.
Thess. ca. 2.

Et enus dicta sunt, quod velim cum cæteris expendas, an Pontifici tuo vulnus infligat. Qui Romæ sedens, totius Ecclesiæ dominationem vsurpat, & se ac suos præ cæteris Ecclesiæ nomine ostentat, ipse est Antichristus. Pontifex Romanus tantundem: Pontifex ergò Romanus est Antichristus.

C A P. IIII.

Ostenditur venisse Antichristum, cum aliis argumentis, tum ex defectione gentium ab imperio Romano, contra Bellarmini demonstrationem secundam. cap. 5.

VIDIMVS de Antichristi nomine & loco, quadrare illa Romano Pontifici, neque scutum adhuc ullum à *Bellarmino* repertum esse, quo tricornatum caput sanctissimi patris ab infestis nostrorum telis defendere possit. Sed nondum tamen ab illo causam obtinuisse videmur, quia de adventu Antichristi nondum constat. Id si effectum dederimus, Venisse Antichristum, de reliquo non erit ambigendi locus. Nam cum illum Ecclesiæ Romanæ principem esse oporteat, vt supra disputatum est, præter vnum Pontificem nemo hætenus fuit qui Ecclesiæ Romanæ sibi principatum arrogavit. Hic autem imprudentè agunt & præter normam rectæ rationis, qui certum aliquod momentum exigunt apparitionis Antichristi, & annum sibi aliquem definiri volunt, quo constet regnum illud apostaticum incepisse. Enimverò Antichristi ortu & incremento cer-

tum est non vnus modò hominis malignitatem & apostasiam , sed passim & vbique deliquium pietatis & fidei contineri. Magna autem illa mutatio totius orbis quæ cū Antichristi regno coniuncta est, repentè perfici non potest, & illa communis defectio exemplis & imitatione propaganda , vt mox ad omnes perveniat, simul & semel omnes inuoluat, incredibile videtur. Quare necesse est , vt quemadmodū in corporibus humanis morbi lethales paulatim increscunt, & in rebus p. collapsa semel legum disciplina sensim eò licentiæ progreditur, vt parem tandem & vitia & remedia desperationem obiiciat : ita in Ecclesia quoq; paulatim & quasi per gradus inolescat pestis illa & prauitas quæ faciem eius immutat , & sensim de via deductam, dum motus suos non sentit, in errorum præcipitia incautam impellit. Et hanc quidem Ecclesiæ corruptelam ab ipsis eius initiis Satan molitus est, & ad omnem occasionem inuigilauit, qua negligentia pastorum ad dominici gregis iniuriam abuteretur, & dum dormirent homines ; nec ad circumventiones eius satis attenderent , zizaniis suis & loligine, veræ fidei simplicitatem contaminaret. Quæ ille dum opinione sanctitatis & antiquæ traditionis prætextu tanquam serpentina quadam lubricitate in Ecclesiam insinuauit , fefellit nonnunquam viros bonos , vt de Irenæo antè diximus ; qui dum posteriores prioribus , & suis quiq; magistris plus tribuunt quàm par est, & titillatoriis quorundam glossematis arcana scripturæ mysteria nimis ingeniosè rimantium

alliciun-

alliciuntur, stipulis interdum & quisquiliis Ecclesiasticam addunt auctoritatem, & faciem veræ religionis quasi puluere quodam inspersam posteris relinquunt. Inde factum est, quod sine fidei detrimento nunquam contingit, vt intra annos ab Apostolis plus minus trecentos, infinita ^a *presumptionum humanarum onera*, teste Augustino, grauarent Ecclesiam, quibus eò <sup>a Augusti
epist. 119.
ad Ianuar.</sup> ventum est, vt *tolerabilior conditio Iudeorum* esset; quæ ille tamen se profitetur *propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala deuitanda non ausum liberiùs improbare*. Itaque creuit magis magisque superstitio, & posteriora quæque secula deteriora nata sunt, donec Papismus tandem obtinuit, qui scabiem antiquioris Ecclesiæ conuertit in lepram, & quasi communem quandam sentinam se præbuit, in quam confluerent quæcunque ferè apud veteres excrementitia & sordida reperta sunt.

2 Huius autem apostasiæ seminaria persenserunt Apostoli suis recentis adhuc Ecclesiæ temporibus, & non sine gemitu ac suspirio magni illius Antichristi quasi tracturam & lineamenta præuiderunt. Qua de re Ioannes: ^b *sicut* <sup>b 1. Ioan. 2.
18.</sup> *audistis Antichristum esse venturum, etiam nunc multi sunt Antichristi*. Quo significat iam tum multos extitisse, in quibus Antichristi specimen & neruus quidam futuræ defectionis eluceret. Et idem quoque iterum: ^c *De Anti-* <sup>c Cap 4.
Vers. 3.</sup> *christo audistis eum venturum esse, & iam nunc in mundo est*. Vbi aperte denunciat iam tum insedisse in Ecclesia, quod quum paulatim in-

ueterasceret, tristissimū tandem abhominandę desolationis spectaculum præberet. Eò quoq; pertinet illud Apostoli *Pauli*, qui quum Pseudoapostolorum astutias, falsorum fratrum subreptiones, peregrinarum doctrinarum pseudoepigraphias, plausibiles mentitę sapientię prauitates, & deniq; vim illam Satanę seductoriam viam sibi ad regnum Antichristi munientem experimento cognosceret: ^d *Iam nunc*, inquit, *mysterium iniquitatis operatur*. Quĩ id tandem, nisi quòd intellexerat iam tum Satanam ouis illis incubasse, quibus apostasiam illam, de qua paulatim Antichristus efformaretur, editurus esset? Quid autē? Num parturiisse Satanā credimus per tot secula, nondum peperisse? Nimis verò longā nobis gestationem narrant. Quum enim illum oporteat ex quo sub ipsis Apostolis conceptus est, mirum in modum granduisse, libentè velim narrent nobis, vbi tandem præterquam in Ecclesia Romana incrementum illud Antichristi, quod fuisse maximum necesse est, vel cogitando fingere possint. Quod quum apud animum meum attentè considero, & simul reputo mecum è quàm ^e *paruo respectu* Romana sedes in quantę maiestatis fastigium imperatoribus ipsis & regibus iam facta superior, eminuerit; tantum apud me valet, vt hoc ipso non dubitem, quin iam olim Romę Satan enixus sit monstrum illud, serpentinam prolem, quę viscera Ecclesię, cuius se velo & ventre abdedit, viperino morfu perdit. Iterum dico: quem Satan ab ipsis Apostolorum temporibus seminavit, & cuius antiqui patres, dum

subinde

d 2. *Thess.* 2
7.

e *Æneas*
Sylvius e.
pist. 301.

subinde omnia sentiunt ruere in peius, & ecclesiarum ab hæreticis miserabiles ruinas, hominumque crescentem quotidie malitiam animaduertunt; tantos progressus agnoscunt, ut eum imminetem penè ceruicibus suis tanquam *Hannibalem* propè ad portas reformidarent, eum post mille annos & amplius nondum venisse, immò crescente Romana Ecclesia decreuisse, & retrò sublapsam vires illas amisisse, quibus videretur iam cum orbe terrarum congredi potuisse, ita est absolum & improbabile ut hoc neminem putem nisi qui sponte sibi insaniam inducat, existimare posse. Et audiatur quæso *Gregorius*, Magnus ille, Romanus episcopus: *f Omnia, inquit, quæ prædicta sunt fiunt: rex superbiæ propè est.* Animaduerte, *Bellarmino*, sententiam episcopi Romani cui tu resistere non debes, facta tum esse omnia quæ prædictum est Antichristi aduentum præcedere debuisse; proinde illum sine dubio in propinquo fuisse. Et illud *Gregori*, quo tandem indicio deprehendis? *Quicumque, inquit, uniuersalem sacerdotem se vocat vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit.* Grauissimum testimonium. Ergo *Constantinopolitanus* ille uniuersalitatem ambiens, præcursor fuit Antichristi: *Bonifacius* Romanus illam obtinens ab imperatore parricida, verè Antichristus, sed infantulus adhuc, recens ex utero egressus, cuius membra nondum obduruerant ad pugnam, ut imperatores & principes sibi in obsequium cogeret, & citra impedimentum omnia pro arbitrio suo tractaret; quia ma-

f Gregor. Magn. lib. 4. epist. 38.

g Lib. 6. e. p. 30.

gnus ille quidem esse non potuit, nisi Romanum prius imperii maiestate confracta. Et eam quidem iam antè vehementer læsam historiæ testantur, ita ut in Italiam ipsam ingressi Longobardi, partem eius per vim occuparent, & magnas imperatori molestias crearent: sed ita tamen, ut illi reliqua Italia & vrbs Romana integra maneret. Dum verò ipse in Oriente totus est, & in Italia per *Exarchos* rem agit, populus contumeliosè ab illis habitus, & expilationibus eorum atque iniuriis assiduè prouocatus, Pontificibus benignior esse cæpit, & illis plusquam imperatoribus adhærere. Itaque creuit in Italia authoritas Pontificis; diminuta est imperatoris. Et quidem eò tandem deuentum est, ut nactus Pontifex opportunitatem hanc, & factione sua fretus, ausus sit diris suis & anathemate imperatorem proscribere, eumque prorsus Italiæ regno priuare. Quod quum siue per inertiam, siue per impotentiam imperatoris succedere videret, se tamen intelligens suis adhuc viribus stare non posse, & sibi proinde uolens deuincire aliquem cuius auxilio partes suas melius tueri posset, de transferendo imperio cogitat, & nouo imperatore in Occidente sufficiendo: sibi sumens, quod etsi erat iniustum & impium, per eum tamen liciturum haud dubitauit, cui bono esset, audere pontificem per scelus & perfidiam, quod per ius non posset. Itaque *Carolus* magnum iam antè sibi deuinctum, principem totius Europæ potentissimum, imperatorem creat, sed ita ut prædam inter se partiantur, & dum mulus mulum scabit,

scabit, ipse Romani territorii dominium consequatur. Factus verò tandem dominus Romanæ ditionis, & nouis siue donationum siue rapinarum accessionibus assiduè locupletatus, magis magisque cristas attollit, donec abusus principum socordia & superstitione temporum illorum, omnia tandem in potestatem suam redigeret, & vnum se orbis Christiani monarcham constitueret, vtroque gladio insignem, de quo imperia tenerentur & regna; cuius foro & arbitrio lites omnes & controversiæ finirentur; cuius iniussu quicquid in ecclesia, quicquid ferè in rep. ratum esse jubere-
tur, esset irritum: cuius sententiæ quicumque se opponeret, pro hæretico, pro schismatico habendus esset, nec locus illi aliquis apud Christianos, ne mortuo quidem, permittendus.

3 Cæterùm ne per incerta vagari videamur, imperii Romani magnitudinem & potentiam remoram & impedimentum Antichristi reuelandi, ^b patres ad vnum ferè omnes ex Apostolo interpretati sunt. In occasu Romani imperii futurum Antichristi exortum constantissimè omnes vno consensu tradiderunt. Quemadmodum Babyloniorum imperium Persis, Persarum Macedonibus, Macedonum Romanis: ita Romanum imperium Antichristo esse cessurum. De prophetia *Danielis* & *Apocalypsi Ioannis* obseruarunt Romanū imperium lacerandum, & decem regibus diuidendum, & inter hos motus Antichristum, cui reges illi omnes obsequiū præstent, in sedem suā esse prouehendum. Luculentissimè Tertul-

h August.
de civ. Dei.
lib. 20. cap.
19. Hier. ad
Algas. 9. 11.
et in Dan.
cap. 7. et in
2. Thess. ca.
2. Lactant.
lib. 7. cap.
15 Theo-
dor. in Dan.
or. 7. Chry-
sof. Theo-
doret. Am-
bros. Theo-
phyl. Oecu-
men in 2.
Thess. cap.
2.

lianus: 2.

i Tertul. de resur. car-
nis.
k Idē in A-
polo. ca. 32.

lianus: *Romani status abscessio in decem reges di-
spersa Antichristum superducat.* Inde mos vete-
ribus Christianis pro imperii Romani diutur-
nitate precari, quod scirent ^k vim maximam
(ab Antichristo) *uniuerso orbi immixentem Ro-
mani imperii commeatu retardari.* Quid ergo?
Imperii Romani diminutione crescere oportuit
Antichristum: creuit Pontifex. Imperato-
rem oportuit loco cedere vt succederet Anti-
christus: successit Pontifex. Abscessio imperii
in decem reges superducere debuit Antichri-
stum: superduxit ex episcopo Romano Pontifi-
cem. Daturi erant reges illi potestatem suam &
authoritatem Antichristo: dederunt Pontifici.
Deniq; iamdiu est ex quo constata est potestas
imperatoris, exaltata Pontificis: manet impera-
toris nomen & vmbra; imperium non manet.
Et num adhuc expectatur Antichristus? Pla-
nè miseros esse oportet, qui dum ipsi sibi tene-
bras accersunt, noctuarum instar in meridia-
na, aut si quæ clarior esse potest, luce cæcu-
tiunt.

4 Hic verò dignissimum est observatione
quod *Thomas Aquinas* hac de re tam acutè
commentatus est, qui quum videret, quod &
fateretur, ^l *iamdiu gentes à Romano imperio recess-
sisse, quærit more suo, quomodo est hoc & tamen
necdum venit Antichristus?* Non venit quidem,
Thomas, nec venturus est qualem tu fingis: quòd
si verum Antichristum agnosceres, hoc ipso
eum intelligeres venisse, quia *gentes à Romano
imperio recesserunt.* Ille verò, *Dicendum*, inquit,
*quòd non cessauit imperium, sed commutatum
est*

l *Thom. A-
quin. 2.
Thess. 2.
lect. 1.*

est de temporali in spirituale, & ideo dicendum quod discessio à Romano imperio debet intelligi non solum à temporali, sed etiam à spirituali. Tu verò, Thoma, bene scripsisti, non de imagine solum crucifixi, sed etiam de imagine bestiae, Romano Pontifice; qui illam donas honore Christi, hanc ab ignominia vindicas Antichristi. At dic, amabò te, quodnam illud erat imperium abscissione gentium in decem regna disper-tiendum. Num ita tibi læsum est cerebrum, vt non planè videas temporale illud imperium in hoc negotio esse semper & ab omnibus intel-lectum? Nos ergò ex cessatione temporalis im-perii, quam tu fateris, venisse concludimus An-tichristum. Et eò arripimus quod tu subiungis: *Est hoc conueniens signum quod Christus veniet, quando Romanum imperium dominabitur omni-bus: ita è conuerso signum Antichristi est discessio ab eo.* Vide verò vbi ait imperium temporale in spirituale commutatum esse, quàm duris corni-bus Pontificem suum arietat. Quid est enim a-liud quàm ac si dicat; Verè quidem euersum est quod erat olim imperium Romanum, & impe-rii sedem & maiestatem secundùm vaticinia Prophetarum Pontifex inuasit, & hac vsurpa-tione Antichristus argumento certissimo com-probatur. Quod si nondum satis liquere videa-tur, iuuabit nos *Bellarminus*, qui belle monet ^m *Antichristum postremum & ultimum fore qui* ^m *Cap. 15.* *Romanum imperium tenebit, tamen sine nomine Romani imperatoris.* Annon apertè nobis Pon-tificem describit, quem agnoscit *Thomas* Ro-manum imperium tenere, sed de temporali commu-

commutasse in spirituale, ac proinde Romanum imperium tenere, sine nomine Romani imperatoris? Nam ut ultimum intelligamus septimus est: bestiae autem Romanae septem tantum capita numerantur; è quibus est septimus & ultimus Antichristus. *Thomas* verò qui tam

n *Cam-*
pian. Racl.
9. *n* *acutè omnia*, dum hastam illam in Pontificem intortam temporalis & spiritualis imperii distinctione deludit, alteram fortasse pro Antichristo importando discessionem somniat futuram, qua spirituale quoque Pontificis imperium in minutos decem Pontificatus diuisum abscedat. Et illam dum expectat, egregium veri Antichristi asseclam & satellitem præbet, & cerebro vehementer insudat, ut Romanae perfidiae, quam exosculatur vnicè, subtilitatibus nouis & inanium distinctionum ludibriis subsidium ferat. Nempe animus illi erat nihil damnare quod in Ecclesia repererat, sed ingenio agere ut absurdissimis quibusque figmentis, cum manifesta licet impietate coniunctissimis, opercula fabricaret. Hic verò acumen tuum, *Thoma*, non iuuat, quia fateris imperium illud Romanum, quod ex scripturis patres intelligunt, esse collapsum, & eius loco aliud esse à Pontifice substitutum quod Antichristi esse necesse est, quia Antichristi regnum fore prædictum est, quod esset ex ruinis imperii nasciturum. Quinetiam ex illa tua distinctione agnoscimus *bestiam quæ erat, & non est, & tamen est*, fuit enim Roma temporali imperio mundi Domina: iam verò non est eodem impe-

o *Apoec. 17.*
8.

impe-

imperio temporali, & tamen est imperio Pontificis spirituali.

5 Sed huic vulnere *Bellarminus* quoad potest medetur: id autem dum agit, telum per imprudentiam infigit altius. *P. Signum, inquit, antecedens aduentum Antichristi est omnimoda desolatio imperii Romani.* Illa verò qua tandem ratione contingit? *Est, inquit, Romanum imperium tandem diuidendum in decem reges, quorum nullus erit vel dicetur rex Romanorum, etsi omnes occupabunt prouincias aliquas Romani imperii: donec autem hoc non fit, non potest Antichristus venire.* At expunge quod per fraudem interponis (*vel dicitur*) & quod dicis, iam olim factum est. Iam olim imperium Romanum in decem regna diuisum est, & è regibus illis qui imperii prouincias obtinuerunt, rex Romanorum nullus est; quia regnum Romanorum in illa sortitione Pontifici tuo, hoc est, Antichristo cessit in prædam, quemadmodum ante declaratum est. Sed tu tamen ex interposita clausula (*vel dicitur*) imperatorem Alemannicum regem Romanorum salutari respondes. Atque verò si esse illum regem Romanorum defendas, tuus te Pontifex mentiri confirmat, qui mero fauore concedit imperatori, vt titulari quodam honore rex Romanorum indigeretur: in vrbe autem Romana nullo modo regnare permittit. Immo attende vocem Pontificis; *9 Vrbs Romana nostra est, non imperatoris. Romæ nostra sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna que est sylua Gallie.*

P. Cap. 5.

*9 Adriat.
4. apud A-
uentin.
Annal. lib.*

4.

6 Tu tamen instas atq; ais: *nihil obstare quòd Roma*

Roma ipsa ceciderit quodammodo & imperium amiserit, quia imperium Romanum sine vrbe Roma bene consistere potest, & dici Romanus imperator qui Roma caret modò succedat alteri Romano imperatori in eadem dignitate & potestate. At quod tu nobis imperium Rom. narras, quod sine vrbe Roma consistere potest? Quid si ne Imperium quidem dici possit? Est enim imperium ex vsu sermonis nostri latissimè propagatum, prouinciarum & populorum varietate distinctum, ^r regnum habens, vt olim Romanum illud, *super reges terræ*. Imperium quod tu fingis, vnica est imperii prouincia, *tenuis quædam umbra magni corporis*, ac ne umbra quidem, *corpusculum exangue, vix ossibus hærens*, regnum super reges terræ habet nullum. Et vt sit imperium, certè Romanū imperiū dici nullo modo debet. Nam inde nomen erat Romani imperii, quòd Romani rerum summa potiti sunt: quòd ^r *sub potestate vrbis orbis remansit imperium*, Imperium ab vrbe Romana diuulsum, Romanum ampliùs dici non debet. Neque enim Babylonicum erat dicendum imperium quod Babylon amiserat, etsi gentes adhuc eadem imperio subiacerent; & cecidit Persarum imperium, vbi apud Persas summa rerum potestas esse desiit. Postquam ergò Romanis abrogatum est imperium, & Roma ipsa desiit esse ciuitas magna *regnū habens super reges terræ*. Romani nomen imperii exprobratio est Romani nominis, rationem autem veritatis non habet. At esto tamen, vt imperium Romanum dicatur, quòd jus imperii ab vrbe Romana dependeat;

1 Dan. 2. 37
Apoc. 17.
18.
1 Sleidan.
de quatuor
summis
imp.

1 Oros. hi-
stor lib. 1.
cap. 1.

deat; certè simul cum vrbe ipsa titulum imperii transire necesse est. Qui ergò imperatorem ab vrbe, & urbem ab imperio submouerit, nomen ille Romani imperii siue Romani imperatoris otiosum præstabit. Vrbs autem, teipso teste, imperium amisit, & imperator urbem. Imperium quoq; collapsum est, & partem eius post Saracenos Turcæ, partes alias Christiani principes occuparunt; imperator *tibia illa Danielis*, quam commemoras, in digitum exeunte, in angulum Germaniæ contrusus ^{t. Rodin.} *vix centesimam partem orbis terrarum* superstitem habet. ^{method. hi.} Quòd si & orbem & urbem amiserit, quì tu illum tandem imperium Romanum sine vrbe Roma tenere defendis? & qui neq; ciuitatem Romanam, neque prouincias olim Romanas possidet, quomodo tu illum Romanum imperatorem dixeris appellandum? *Quia*, inquis, *succedit alteri Romano imperatori in eadem dignitate & potestate.* At in eo non succedit vnde Romani nomen petendum esset; quia Romam sedem imperii nec re nec iure possidet. Neque verò aliàs succedit veteribus illis imperatoribus in eadem dignitate & potestate. Nam ad imperii dignitatem pertinet in primis subditarum gentium multitudo. Tu imperatorem vides, præ antiquis illis toto orbe dominantibus, penè solitarium permanere. De imperatore ^{u Tertul.} *vetus Ecclesia profitetur: "Colimus imperatorem ut hominem à Deo secundum, solo Deo minorem: tu præ imperatore Pontificem colis, & x Decretal. ^{Greg. de maior. & obediens. ca. solita.} *quantò x sol est luna maior, tantò imperatore maiorem facis. Leges imperator Romanus or-**

y Socrat.
 histor. lib. 5.
 in proem.
 z Dist. 96. Si
 imperator.
 a Socrat. i-
 bid.
 b Leo epist.
 9.

c Apoc. 17.
 13.

bi terrarum dictavit & scripsit: tuus qui nunc
 est, ne suis quidem. Ex quo veteres Imperatores
 Christiani esse cœperunt, Ecclesie negotia ab illo-
 rum nutu pendebant: tuo imperatori sacrile-
 gum est Ecclesie negotiis nisi ad nutum Pon-
 tificis immisceri. ^a De veterum imperatorum sen-
 tentia maxima concilia cogebantur, & ^b suppli-
 ces illis erant episcopi Romani, tum vt haberi
 concilia iuberent, tum vt loca ipsis opportuna
 constituerent: tuo imperatori nihil est rei cum
 conciliis, sed ab arbitrio Pontificis & indictio
 conciliorum & confirmatio dependet. De-
 nique circumcisa est potestas imperatoris, &
 Pontificis atque ordinum imperii legibus cir-
 cumscripta, vt nullo modo sit cum veteris im-
 perii maiestate conferenda. At esto illa succes-
 sione qualiscunque esse poterit, & habeat im-
 perator in illo imperii frustulo quantam pote-
 rit dignitatem: certè cum nec imperium illud
 antiquum obtineat, nec urbem ipsam de qua
 titulus imperii profectus est, erit ille quidem
 sub nomine imperatoris vnus è ^c regibus illis
 quibus prouinciæ olim Romanæ ceciderunt;
 Rom. imperator, vrbe simul & imperio exu-
 tus nisi tituli cuiusdam honorarii ludibrio di-
 ci non potest. Atqui verò non agitur in scri-
 pturis, Bellarmine, de vmbri & inanitate no-
 minum, sed de rerum veritate. Itaque tota il-
 la disputatio otiosa est, qua imperatorem ad-
 huc subesse cõtendis, nec iuuant causam tuam
 imperatoris insignia, cuius imperium nisi v-
 nus prouinciæ angulis inclusum describi non
 potest. Recognosce verò quid de statu im-
 perii

perii & illius vaticinii complemento in Synodo Reginoburgensi iam olim declamatum est.

^d Romani maiestas populi, qua olim orbis regebatur sublata est de terris. Imperator vana appellatio & sola umbra est. Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ, Romanum quondam imperium, non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua, id quod Augustino incredibile visum est, Turca, Græci, Egyptii, Afri, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas provincias possident, Romanosq; in his excidere colonos. Cornu parvulum sub his succreuit, quod oculos habet & os loquens grandia, &c. De eodem quoque Lyranus: ^e Ab imperio Romano recesserunt quasi omnia regna, negantia ei subiici & redditionem tributi: & eo non contentus addit: Iam à multis annis imperium illud caruit imperatore. Noli Bellarmine tergiuersari; iam olim Romanum imperium absumptum est: quare nihil in ista defensione tua quo fidem facias nondum venisse Antichristum.

7 Quod erit adhuc liquidius, si attendere placeat quid fuerit in causa, quo minus stante imperio regnum suum Antichristus adipisceretur. Eam Chrysostomus assignat, & post illum Theophylactus: ^f Donec imperii illius timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur: quando vero istud destructum fuerit imperium, vacantem imperii principatum inuadet, & ad se diuinum simul & humanum imperium rapere tentabit. Et nisi Romanum illud imperium euertatur, nullam Antichristus habiturus est viam ut queat pro eius cupiditate que velit perficere, metu scilicet

^d Auen. Annal lib.

^e Lyran. in 2. Thess. ca. 2.

^f Chrysost. & Theoph. in 2. Thess. cap. 2.

imperatoria potentia tanquam fræno retentus, ne se in altum attollere auderet. Tu verò *Bellarmino* spectrum imperii nobis opponis cuius nulla formido est, cuius eneruata potentia iamdiu nihil habuit quod *detineret* Antichristum, nihil quod impediret quominus caput attolleret, & sibi regnum illud desolatorium in Ecclesias Christi firmaret. Immò terrorem imperii transtulit ad se Pontifex Romanus, & quasi *terrenus quidam Deus* plus metui cepit gladio spirituali, quàm imperator temporali. Et vsque adeo constat imperii formidinem sublatam esse, vt qui Episcopus olim vrbis Romæ imperatorem dominum suum salutare consueuerat, Pontifex ex imperii lapsu iam factus, vt Antichristum agnoscas, dominum se imperatoris, sibi imperatorem *aduocatum & homulum* fecerit, & illum habuerit sibi tanquam subditum iuramento fidelitatis obstrictum, & ni obsequentem inuenerit, pro arbitrio illum de imperii dignitate deturbarit. Neq; verò hoc iam pridem tantum factum est: sed cùm meliora adhuc essent imperii tempora, ita tamen metus eiusdem imminutus est, ut ausus sit Pontifex, quòd antè auditum non fuerat, imperatori se opponere, & eum, res suas tueri non valentem, totius Italiae iure priuare. Quando ergò constat formidinem imperii remoram fuisse Antichristi; formidinem autem imperii citra omnimodam desolationem declinatione illa magna esse sublatam, *Bellarmino* reponimus illam quam nobis obiicit *deceptionem*, & iterum defigimus quod ille vellicat, magnam

gnam illam imperii Romani declinationem a-
ditū Antichristi regno & opportunitatem præ-
buisse. Iam verò qui Romanum imperium pla-
nè cecidisse sentimus, & aliud eius loco subro-
gatum esse, quod magnitudine sua cœlum ter-
ramque compleuerit, & sibi angelorum simul
atque hominum, viuorum & mortuorum po-
testatem insolentissimè vendicarit, consequens
est vt regnum hoc Antichristi esse statuamus,
quia post & Romanum imperium non aliud
eius loco futurum Christiana fides expectat,
quàm solius Antichristi.

g Theodo-
ret in 2.
Thess. 2.

8 Neque id nos primi vidimus, neque suspi-
cionem hanc *Calvinus*, aut *Lutherus*, aut certè
Wiclefus primi seuerunt: viderunt ante annos
quingentos quicumque oculati fuerunt, cùm
b plerique pro concione Romanum pontificem An-
tichristum fuisse prædicarunt, titulo Christi Anti-
christi negotium agitasse; in *Babylonia*, in templo
Dei sedisse: in hoc omnes nervos intendisse, vt duce
gregis oppresso, in oues desertas præsidio imperato-
ris licentiùs impuniùsque grassaretur: cùm pleriq;
omnes boni, aperti, iusti, simplices, ingenui prodide-
runt tum Antichristi regnum cœpisse quòd ea quæ
Christus seruator noster tot, antè annos canta-
uit, eo tempore euenisse cernebant: quum episco-
pus quidam⁷ *Florentinus* palam denunciauit An-
tichristum natum esse, eoque nomine à Paschali
secundo reprehensus est. Vidit proximo ferè
seculo^k *Ioachimus* Abbas, qui à rege *Richardo*
Anglo de Antichristo interrogatus, respondit,
Romæ iam diu natum extitisse, & tunc maximè
regnasse, seque exaltasse super omne quod di-

h Auentin.
Annal. lib.
5.

i Platin. de
vitis Pon-
tis. in Pa-
schali. 2.
k Balans.
Centur. 3.
in appen. d

l Matha.
Paris. in
Henr. 3.

m Cal. test.
Veritatis.
pag. 504.

n Alfons.
de Castro
aduers. ha-
res. lib. 12.
tit. Pote-
stas.

o Hospi-
nian. de o-
rigine Mo-
noch. lib. 6.
cap. 3.

p Catalog.
test. Verita-
tis. pa. 449.

q Auent.
Annal.
lib. 7.

citur Deus; alludens ad ea quæ in imperatores
Henricum & Fredericum à Romanis Pontifici-
bus *Hildebrando & Alexandro* facta sunt. Vi-
dit noster ille ^l *Robertus Grossthead* episcopus
Lincolniensis, qui grauissima disputatione
Pontificem Romanum ipsum esse Antichri-
stum iam moriturus comprobauit. Viderunt
^m *Gerardus* quidam Sagarellus, Parmensis, &
Dulcinus Nauarenfis: qui quòd Papam Anti-
christum, ecclesiam Romanam meretricem Ba-
bylonicam asseruerunt, cum ingenti audito-
rum numero ⁿ Pseudoapostolorum nomine
interfecti sunt. Vidit sub eodẽ seculo ^o patruus
quidam *Petri Veronensis* cum multis aliis, qui
quo tempore *Cyrillus Carmelita*, nefarius pseu-
dopropheta, nouam Apocalypsim à se cælitus
acceptam confinxit, de vera *Ioannis* Apocaly-
psi animaduertent Romam Babylonem
tum fuisse, Romanum Pontificem Antichri-
stum. Vidit ^p *Haiabalus* quidam Minorita, qui
circiter annum domini 1345. solitus est publicè
concionari & affirmare, se diuinitus iussu con-
cionari Rom. ecclesiam esse *Babylonicam meretri-
cem; Papam & Cardinales meros Antichristos,*
eaq; causa in perpetuum carcerem à Pontifice
damnatus est. Vidit synodus Reginoburgensis,
vbi ita publicè declamatum est: *¶ sub pontificis
maximi titulo, pastoris pelle: lupum seuissimum,*
nisi cæci sumus, sentimus, &c. *Hildebrandus* ante
annos centum & septuaginta primus specie reli-
gionis *Antichristi imperii fundamenta iecit, &c.*
*Flamines illi Babyloniae soli regnare cupiunt fer-
re parem non possunt, &c.* *Qui seruus seruorum*
est,

est, dominus dominorum, perinde ac si Deus foret, esse cupit. Ingentia loquitur quasi verò Deus esset, homo ille quem Antichristum vocare solent, in cuius fronte contumelia nomen scriptum est, Deus sum, errare non possum. Vidit ^r Probus episcopus Tullensis, qui legatos pontificis Antichristi *trapas, Romuleos vultures* Appellavit. Neque nihil vidit Bernardus, etsi non admodum acquiescens, Norberti sermonibus de Antichristo sub illa generatione conspicuo, sed non nihil vidit cum ^t intestinam & insanabilem ecclesie plagam & putidam tabem per totum corpus eius serpentem pluribus describens, gembundus tandem concludit, *super est ut reveletur homo peccati, filius perditionis, ipse Antichristus.* Certè alienum illis temporibus Antichristum non iudicavit, qui dum in Anacletum secundum, ni fallor, schismaticum Pontificem inuehitur: ^u Bestia, inquit, illa de Apocalypsi cui datum est os loquens blasphemias & bellum gerere cum sanctis, Petri cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam. Eant nunc & obmurmurent Ioannem *Wiclefum* primum omnium Romanam sedem Antichristiani nominis probro cõtaminasse. Atqui verò intelligimus principes, magnates, sacerdotes, plebes hoc ipsum ante *Wiclefum* lamentabili experientia didicisse, quod ab illis perceptum, & à se quoque peruisum, nihil mirum si constantissimo dogmate peruulgarit. Quin & nos iisdem argumentis permoti, & certissimis scripturarum oraculis edocti atq; instructi, contra secundã Bellarmini demonstrationẽ, quam nos, vt seriem nostram

r Auent. i- bid.

[Bernard. epist. 50.

t Idem in Cant. ser. 3. & in Psal. Qui habitat. ser. 6.

u Epist. 135.

sequamur, primo loco tractamus, definitè statuimus iamdiu esse ex quo solutum est imperium Romanum, ac proinde iamdiu esse ex quo venerit Antichristus; & quia Romæ illum esse oportet, alterum quàm Romanum Pontificem esse non posse.

C A P. V.

Euangelium per uniuersum orbem iam olim fuisse publicatum, contra Bellarm. primam demonstrat. cap 4.

AD Romanum Pontificem ab Antichristi suspicione liberandum, nihil sibi *Bellarminus* expeditius esse sensit, quàm vt Antichristum suaderet nondum apparuisse, & aduentum illius in posterum adhuc expectandum superesse. Atque hanc sibi arcem in primis muniendam ratus; non contentus communibus argumentis; demonstrationibus, hoc est, certissimis & exploratissimis rationibus rem agere videri voluit, & hastas nonnisi amentatas omnes & mortiferas intorquere, vbi spicula tantùm arundinea vibrat, & iactat plumbeos pugiones: Demonstrationes huiusmodi sex numero proponit, è quibus duæ ab antecedentibus; duæ alteræ à comitantibus Antichristi aduentum; totidem à consequentibus desumptæ sunt. Antecedunt Antichristi aduentum prædicatio Euangelii per totum orbem, & desolatio imperii Romani; è quibus ille neutrum adhuc factum contendit. Iam quod de statu imperii Romani nugatur, explosum est capite superiore, nec

re nec in eo quicquam esse docuimus, quod non venisse Antichristum, & illum Romanum Pontificem esse confirmet. Illud nunc examinandum venit, An completum sit quod de Evangelio Christus per totum orbem promulgando prædixit. ^a *Scriptura*, inquit *Bellarminus*, a *Cap. 4. de*
testantur in toto mundo Evangelium esse prædi- *Antichri.*
candum antequam veniet ultima persecutio qua *Ro.*
excitabitur ab Antichristo. At nostro adhuc tem-
pore non est Evangelium in toto orbe prædicatum:
ergo nondum venit Antichristus. Propositionem
affirmat ex Matt. 24. Prædicabitur hoc Euange-
lium in uniuerso orbe, in testimonium omni-
bus gentibus. Verùm adde, Bellarmine, quod se-
quitur; Tunc veniet consummatio, & vno verbo
Chrysostomus demonstrationem tuam euertit.
Tunc venit consummatio. ^b *Consummatio scilicet,* *b Chrysoft.*
inquit, Hierosolymorum. Quòd enim sicut prædi- *in Matth.*
xit vel ante Iudæorum urbis euersionem per mun- *hom. 76.*
dum Evangelium effusum erat, Paulum audi, ^c *In* *c Rom. 10.*
omnem terram exiuit sonus eorum: & rursus, ^d *A* *18.*
spe Evangelii quod audistis, quod prædicatum est *d Col. 1. 23.*
in uniuersa creatura qua sub cælo est. Viginti e-
nim annos aut ad summum triginta ad omnes o-
ras orbis Evangelium transcurrit. Post hæc igitur,
inquit, Hierosolymorum finis aderit. Quicquid
ergò illis verbis Christus futurum intelligi vo-
luit, id totum Chrysostomus ante excidium Hie-
rosolymorum compleri oportuisse, & comple-
tum esse testatur. Ne verò solus sit Chryosto-
mus, addamus quoque Hilarium, cuius tu testi-
monio totus ex fraude compositus inhonestè
abuteris, & quem tibi in hac causa aduersarium

eHilar. in
Matt. cap.
25.

fTheophyl.
Matt. 24.
g in Marc.
13.
h in Luc. 21.

i Hieron in
Matth. 24.

intelligis, calidè tamen tanquam parti tuæ fauentem producis. At ille verborum Christi sententiam exponens, ^e Tum per omnes orbis partes, inquit, viris Apostolicis dispersis Evangelii veritas prædicabitur. Et cum uniuersis fuerit cognitio Sacramenti celestis inuecta, tum Hierusalem occasus & finis incumbet, ut prædicationis fidem infidelium pœna & metus eruta ciuitatis consequatur. Theophylactus quoq; in eandem sententiam: ^f Tunc veniet consummatio, non mundi, sed Hierusalem. ^g Nam ante captiuitatem illam Evangelium ubique prædicatum est: breui tempore in totum orbem prædicatio transiuit: ^h Deo ita dispensante, ut quum milites mundum concuterent, & grauiter affligerent Iudæos, Apostoli interim totum mundum prædicatione complerent. Qua verò fraude Hilarium, eadem quoq; Hieronymum adducis, cuius sententia etsi consummationem illam ad mundi occasum referat, tibi tamen apertè refragatur. ⁱ Signum Domini aduentus est Euāgelium toto orbe prædicari; quod aut iam completum, aut in breui cernimus esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem quæ Christi nomen ignoret. Quo significat nihil sibi exploratum fuisse, quominus Euāgelium omnibus omninò gētibus illuxisse sentiret.

2 Quòd verò sequitur, Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis gentibus opinionem fidei non potest ignorare, id tu arripis, & concinnata inde distinctione respondes: duobus modis Euangelium ad gentes peruenire potuisse; uno modo per famam; alio modo per proprios prædicatores & Ecclesiarum foundationem.

Priori modo concedis ad omnes peruenisse tempore Apostolorum : posteriori ne nunc quidem ; de quo tamen Dominum loqui subiungis. Atqui non ignoras patres illos Christi prophetiam interpretantes , factum testari quicquid illud erat quod Christus futurum præmonuit, vt nullus distinctioni tuæ locus superfit. Quoquo modo factum est , siue per famam siue per proprios prædicatores , si factum sit quod Christus verbis illis intellexit, tibi os obstruitur, quia jam olim nihil restat de Christi prophetia non impletum , factum autem illi asserunt. Nihil est ergo in hoc impedimenti quin venerit Antichristus. Quòd si per *prædicatores* fieri oportere vrgeas, respondet tibi Paulus; ^k *Prædicatum est Evangelium* ^k *Col. 1.23.* *omni creaturæ quæ sub cælo est.* Tu verò non dixeris, absque prædicante prædicatum esse Evangelium omni creaturæ quæ sub cælo est. Neque id tamen per proprios prædicatores fieri necesse fuit (id ex tuo cerebro natum est, & ibi sepeliendum) vbi enim ex eo quod aliis prædicatur, fama peruehit ad alios quod illis in testimonium sufficiat, nihil obstat quin impleri dicatur quod ait Paulus, ^l *In omnem* ^l *Rom. 10.* *terram exiuit sonus eorum, & in extremitates terræ verba eorum.* ^{18.} Quod ille factum quoque agnoscit ^m *Coloss. 1.* vbi *Evangelium* iam ^m *Col 1.6.* *tum in toto mundo extitisse testatur.* Quæ et si sunt aperta, *Bellarminus* tamen impudentèr eludit, & ait Apostolum præteritum pro futuro usurpasse, & noluisse dicere *Evangelium in toto mundo fuisse actu sed virtute* : ita illi expeditum

ditum est excogitato dictinctionis mendacio manifesta scripturæ testimonia deprauare. Num seriò tibi sapit, *Bellarmino*, commentarius iste tuus; *Peruenit Euangelium in totum mundum*; id est, post mille quingentos annos aut amplius peruenturum est: *prædicatum est Euangelium omni creaturæ quæ sub cælo est*, id est, post multa secula veniente Antichristo prædicabitur? Atqui te falsarium conuincunt, quos antè memorauimus, qui his ipsis sententiis confirmant ante excidium Hierosolymitanum Euangelium per vniuersum orbem propagatum fuisse. Quibus accenseri quoque debet *Ambrosius*; qui illud explicans, *in omnem terram exiuit sonus eorum*, ⁿ *Quod Psalmographus, inquit, de creaturis dixit, hoc Apostolus de Euangelistis: quia ubique audita est & in omnem locum peruenit prædicatio nominis Christi. Vbi enim prædicantis hominis præsentia defuit, sonus tamen & fama peruenit, sicut peruenerat opinio factarum virtutum in Ægypto ad omnes gentes, teste Rahab meretrice. Etiam Eusebius: ° Diuina inquit, virtute & cooperatione salutaris doctrina orbi vniuerso veluti solaris quidam radius illuxit, ac confestim secundum diuinas scripturas diuinorum Euangelistarum & Apostolorum sonus in omnem terram exiuit, & ad fines orbis usque verba eorum. Ecquid vis amplius, vt intelligas impletum esse olim quod Christus de Euangelio per totum orbem prædicando vaticinatus est?*

n *Ambros.*
in *Rom. ca.*
10.

o *Euseb. hi.*
sto. lib. 2.
cap 3.

3 Atqui Originem adhuc affers nobis aduersum, cuius tamen nobis testimonium nocere non

re non

re non potuit, quia manifesto errore præiudicatur. *P* Nondum, inquit, *Euangelium regni prædicatum est in toto orbe.* Commemoratur autem *Æthiopas & Orientales & Seres, Britannos, Dacos, Sarmatas, Scythas, & alios, ad quos nondum Euangelium peruenisset.* At *Irenæus* antiquior *Origene* non commemorat modò, sed etiam de fidei integritate commendat *9 Ecclesias in Germaniis & Oriente* ante sua tempora fundatas. *Hieronymus* author est *7 Germanis* ab Apostolo *Thoma* fidem annunciatam fuisse. *8 Æthiopibus* ab Eunucho *Candaces* reginae *Æthiopum* prædicatum esse narrat *Eusebius*: & idem *Hieronymus* in *2 altera Æthiopia* factum testatur à *Matthia* qui *Iudæ* proditori subrogatus est: in *3 Scythia* ab *Andrea* *Eusebius* ostendit. Ac ne in singulis moremur, gentibus illis omnibus ab ipso Apostolorum seculo *Euangelium* esse propagatum testis est *Theodoretus*, qui *4 piscatores & publicanos & sutorem illum nostrum* (*Paulum* intelligit) ad legem *Euangelicam* affirmat non *Romanos solum & qui sub Romano viuerent imperio, sed Scythas quoque & Sauromatas, Indos, Æthiopas, Persas, Seres, Hyrcanos, Britannos, Cimerios, Germanos, denique omne genus hominum & omnes nationes induxisse.* Illustre verò est & proposito nostro imprimis accommodatum *Tertulliani* testimonium, qui Christo credidisse confirmat *5 Getulorum varietates & Maurorum multos fines, & Hispaniarum omnes terminos, & Galliarum diuersas nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum*

p Orig. in
Matt. cap.

24.

q Iren. ad-
uer. hares.
lib. 1. cap. 3.
r Hieron.
Catal.

script. ec-
cles.

s Euseb. hi-
stor. lib. 2.
cap. 1.

t Hieron.
Catal.

script. ec-
cles.

u Euseb. hi-
stor. lib. 3.
cap. 1.

x Theodo-
ret. de cur-
pud. Græc.

affect. lib. 9

y Tertul.
cont. Iu-
daos.

manorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium & prouinciarum & insularum multarum nobis, inquit, ignotarum, & quæ enumerare minùs possumus. Vbi quum abditas gentes & prouincias atque insulas ignotas commemorat tollit Bellarmine subsidiariam illam exceptionem, quam tu de noui orbis inuentione confictam interponis. Neque enim vllam tibi relinquit orbis partem ad quam Euangelium non peruenisse fidem facias, qui illud peruenisse confirmat ad abditas gentes & insulas ac prouincias eruditè antiquitùs ignotas, quos constat trinum illum orbem *Asia, Europa & Africa* satis exploratum habuisse. Quando ergò ais, si fides apud illas gentis quas narras extitisset, futurum saltem ut aliqua vestigia remanerent, vel ibi vel in scripturis veterum; habes de veterum scripturis vnde id tibi aliquatenus constare poterit. Porro è gentibus ipsis quædam hoc certissimum esse conuincunt, quando apud insulas ab Hispanis recens inuentas, etsi nulla veterum memoria nobilitatas, & Christianam ne nomen quidem habentes, monimenta tamen

2 Osor. hist. Christianæ fidei, & sepulta in terris, ut refert Osorius, fodiendo reperta sint. Quicquid ergo tibi videtur de nouo orbe temporibus Apostolorum nondum cognito, certè nos arbitramur non incognitum illi fuisse qui dixit Apostolis,

a Matt. 28. ^a *Euntes in mundum uniuersum, docete omnes gentes;* ^b *predicate Euangelium omni creatura: &*

19. ^b *Marc. 16.* ^c *rursum; vos eritis mihi testes in Ierusalem, & c. &*

15. ^c *Act. 1. 8.* ^d *vsq; ad extremitates terræ.* Deniq; ut intelligas Origenis testimonio quàm parùm proficias,

audi

audi eundem alibi dicentem, * à finibus terra * Origen.
 usque ad fines terra propagatam Evangelii prædi- in Genesis.
 cationem, & nullum penè tum locum extitisse qui hom. 9.
 semen verbi non suscepisset; & alibi quoque aper- † Idem in
 tiùs; † Totus orbis in unius Dei religionem consen- Ezech.
 sit. Nunc propter Ecclesias quæ mundi limites te- hom. 4.
 nent (Britannorū & Maurorum Ecclesias nomi-
 natim cōmemorat) uniuersa terra clamat ad Do-
 minū Israel, & capax est honorū secūdum fines suos.

4 Quod autem affers ex Augustino tempo-
 re illo fuisse multas gentes quæ de Christo ni-
 hil audierant, hoc ille quidem ait de gentibus
 Africanis, & potuit propter extinctam apud il-
 las fidem suspicari. Neque enim aliunde sibi
 hoc persuasum declarat, quàm quòd captiui
 quidam qui inde ducerentur, de Christo nihil
 omninò cognitum haberent. At quod de Nu-
 biæ regno Africano à neotericis obseruatum est,
^d fuisse olim Christiana religione imbutum, hac
 tempestate vix ullam religionem agnoscere, hoc i-
 dem illis gentibus vsuuenire potuit tempore
 Augustini, vt quia fidem quam olim accepe-
 rant non retinuisent, omninò nunquam acce-
 pisse viderentur. Certè quæ ex antiquis Eccle-
 siæ monumentis in manibus habemus, facile
 persuadeant, per uniuersam Africā ante illa tē-
 pora Christianæ fidei disciplinam permanasse.
 Marcum^e Alexandria Ecclesiam constituisse te-
 statur Hieronymus. Nicephorus illum f^f Egy-
 pto, Libya, & uniuersæ Barbariæ Cyrenæis quoq;
 & Pentopolitanis quos^g Tertullianus etiam cō-
 memorat Euangelium annunciaffe perhibet.
 Idem quoq; refert Simonem zelotem^h omnem

d Ortel. in
 tab. Aphri-
 ca.

e Hieron.
 Catal.

f Niceph.
 lib. cap. 43.

g Tertul.
 cont. Iu-
 daos.

h Niceph.
 lib. 2. cap.

penè 40.

i Iren. lib.
1 cap. 3.
k Euseb. hi-
stor lib. 6.
cap. 1.
l Concil.
Carthag.
apud Cy-
priantum.

m Renat.
Laurent.
annot. in
lib. Tertul.
cont. Iu-
daos.

penè *Africam* percurrisse. Ecclesiarum in *Aegy-
pto* & *Lybia* meminit *Irenæus*. De *Aethiopibus*
& *Mauris*, & *Getulis* iam antè vidimus. Ex *cro-
ta Thebaide*, martyres *Eusebius* sub *Seuero* re-
fert occubuisse. In concilio *Cypriani Cartha-
ginensi* leguntur ex prouinciis *Africana*, *Nu-
midica*, *Mauritanica* episcopi plus minùs o-
ctoginta. Quæ qui expenderit, haud ille facilè,
opinor, assentietur vllam *Africae* partem exti-
tisse ad quam, etsi *Augustini* tempore retrò la-
psam, sonus *Euangelii Christi* non permearit.
Ac ne sim longior, habemus ex *Pontificiis* qui
sententiam nostram propugnat, *m Renatum*
Laurentium in obseruationibus illis quas ad
librum *Tertulliani* contra *Iudeos* adnotauit.
Quare quum locupletissimis authorum testi-
moniis compertum sit, fidem *Christi* ab ipsis
Apostolis per totum orbem fuisse peruulga-
tam; frustra tu hîc sudas, *Bellarmino*, & nihil
impedit demonstratio ista tua quin venisse *An-
tichristum*, ipsumq; esse *Romanum Pontificem*
arbitremur.

C A P' VI.

*Refutatur fabula de Enoch & Elia personali-
tèr sub Antichristo venturis, contra Bellar.
demonstrationem tertiam. cap. 6.*

QUÆ tertia demonstratione, à te *Bellarmi-
ne*, disputata sunt de *Enoch* & *Elia* in suis
personis sub *Antichristi* tempore venturis, quo
argumento contendis nondum venisse *Anti-
christum*, quia nondum *Enoch* & *Elias* apparue-
runt,

runt, eius, eiusmodi illa sunt vt sannis & sibilis
 explodenda iudicarem, nisi tibi veterum quo-
 rundam scriptorum credula nimium simplici-
 tas & negligentia faueret. Quorum tamen au-
 thoritas, & maximè dissentientium inter se &
 opiniones suas destruentium, authoritati scri-
 pturarum & manifestæ veritati præponderare
 non debet. Et meritò quidem in illis aliquan-
 tulam assentiendi temeritatē improbamus; te
 verò millies damnamus, qui quæ vides ab illis
 tam variè, tam infirmis & nullis argumentis es-
 se tradita, tanquam oracula veneraris, & Eccle-
 siæ sub nomine *demonstrationum*, tanquam ci-
 tra omnem controuersiam certissima, propo-
 ponis. Qui verò fabulam illam suggillas de An-
 tichristo venturo de ^a *de tribu Dan*, quæ tan- ^a *Cap. 12.*
 tum tamen habet antiquitatis suffragium; &
 scripturas illas detortas agnoscis, ex quibus tra-
 ditio vetus ab *Irenæo* ad hoc vsque tempus il-
 lum affirmat de stirpe illa nasciturum, cur non
 eadem iudicandi libertate commentum hoc
 conuellis de *Enoch* & *Elia*, quod fidei ratio-
 nem habet non maiorem, fortasse etiam ali-
 quantò minorem? vt autem istius somnii vani-
 tatem arguamus, inde exordiendum est, vnde
 error omnis de duobus istis Antichristi anta-
 gonistis exortus est. *Ioannes* in Apocalypsi ca. 11.
 narrat ^b *sanctam ciuitatem à gentibus ad quadra-* ^b *Apoc. 11. 2*
ginta duos menses esse calcandam. Quo tempore
 Christus se *duobus testibus suis* potestatem da-
 turum promittit, vt per illos dies prophetandi mu-
 nus exerceant, quousque finito testimonio à bestia
 occidantur, corporibus eorum sine sepultura ia-
 centibus

centibus in plateis magnæ ciuitatis, &c. Inde fabula contexta, futurum, vt Iudæi Antichristo duce, cuius se obsequio tradituri sunt, Hierosolymitanam urbem occupent; sub illo tempore duos illos testes adfuturos qui perfidis istis Iudæis & Antichristo semet opponant. Duos illos testes interpretantur *Enoch & Eliam*, quos hucusque viuos alicubi conseruatos asserunt, vt huic seculo restituti Antichristo resistent: futurum verò vt ab eo tandem occisi, post tres dies & dimidium reuiuiscant, eoque miraculo Iudæi conuersi, Antichristum in Oliueti monte confodiant, & deinceps Christo mox iam post quadraginta quinq; dies venturo se accommodent.

2 Atqui verò parum commodè locis suis & temporibus ista diuisa sunt. Quis ita ferat interpretantem; Gentes calcabunt sanctam ciuitatem, id est, Iudæi Hierosolymam? Quantò meliùs Ecclesiam hic intelligimus verbo Dei tanquam virgula mensuratam; cuius apud Deum cõstat longitudo, & latitudo, & membra omnia in numerato sunt: cuius^c muri in conspectu eius semper, & nomina omnia in palmis manuum eius exarata, vt ex illa nihil perdat, nihil pereat, sed quicquid^d datum est Iesu Christo, resuscitetur in nouissimo die? Itaque in turbis & iactationibus seculi conseruantur incolu-
^c Esa. 49. 16. mes electi, nec vnquam aut vsquam^e portæ inferorum aduersus Ecclesiam praualebunt, quando interim hypocritæ, qui tanquam atrium templi habentur, instar leuis paleæ iactantur & auolant, & potiùs quàm discrimen aliquod

^d Ioh. 6. 39.

^e Matt. 16.

18.

aliquod propter Christum subeant, ad seculum unde exiisse videbantur, regrediuntur, & ab impiis & profanis denuo occupantur. Hanc tamen Ecclesiam vnicam suam, sibi tam charam, hanc *sanctam civitatem*, prædicit ad tempus à *gentibus*, id est, Ethnica turba vexandam & calcandam. Hic verò cum constet *bestia* nomine quæ sic vexabit Ecclesiam, Romani imperii tyrannidem designari, & Romam esse *magnam illam civitatem in cuius plateis corpora sanctorum insepulta iacebunt*, prout supra demonstratum est; non potest hæc Ecclesiæ calcatio ad quicquam aliud commodiùs quàm ad Romanas olim persecutiones accommodari. Et dextrè quidem notat mactationes illas & clades, quibus à gentibus in populum Christianum sub imperio Romano sine modo sævitum est. Vtcunque verò importunè in Ecclesiam grassarentur, sibi tamen Christus non defuturos prænunciat, quorum ministerio assidue à dextris & à sinistris oleum lychnucho Ecclesiæ adhiberet, & diuinis ignibus accensam faceret in tenebris illis rutilantium instar stellarum lucidè splendere. Quos ille binos inducit, non vt numerum testium præcisè definiat, sed vt ad *Zachariae* prophetiam alludat, eo volens intelligi futuros siue plures siue pauciores, per quos Ecclesiæ Christianæ in turbis illis nõ minùs prospiceretur, quàm olim *duabus* ¶ Zach. 4. 3. *illis oleis* (in quibus intelligat qui volet *Zerubbabel* & *Iohoshua*) veteri Iudæorum Ecclesiæ prospectū est. Isti verò testes quanquã succisi assidue prorsùs interituri videbantur, nouo

tamen subinde germine succreuerunt, succedentibus sibi inuicem pastoribus, qui ferendis illis lanienis, & carnificinis fidelium animos confirmarunt, & mortem potius oppetendam, quàm abnegandam fidem persuaferunt. Expletis vero illis siue mensibus siue diebus (de illis postea videbimus) & pace Christianis, Christo vincente, reddita, steterunt Ecclesiæ pastores erecti pedibus suis, & intellectum est in nomine Christiano diuinum quiddam inesse, quod neque ferrum neque flamma, non equulei, non vngulæ, non candentes laminæ, non ingeniosus ille omnis tormentorum apparatus absumere potuisset, nec impedire, quominus Ecclesia ex procellis istis & fluctibus emersa, mundum vniuersum sibi hætenus infestum obtineret. Quo tam illustri, tam splendido Christi triumpho, videbantur iam ad cælum vocati qui sepulti putabatur in inferno, & in illa Christiani nominis eminentia tanquam in nube ad cælum ascendere visi sunt. Hoc autem miraculo & vltionum præterea diuinarum experimento mundus edoctus, aperire oculos & sapere cœpit, & con fractus passim quibus seruiuit idolis, vnius veri Dei cultum & fidem suscepit.

3 Ita visionis illius explicationem breuissimè complexus sum, in qua nihil coactum est, nihil alienum ab illa mysteriorum exponendorum ratione, quam nobis alibi sacra Scripturæ tradiderunt. Quominus autem numerum testium præcisè binarium intelligamus, ipsa mihi descriptio historiarum videtur obstare. Neque enim
de duo-

de duobus Hierosolymæ occisis commodam
habet intelligentiam quod legimas: *g* *Videbunt* *g* *Vers. 9.*
homines ex tribubus & populis & linguis &
gentibus cadavera eorum per tres dies & dimi-

dium: (num enim gentes omnes & linguæ
Hierosolymis congregabuntur vt huic specta-
culo intersint?) quod commodissimam habet
interpretationem de immanitate populorum
omnium sub imperio Romanorum, qui corpo-
ra Sanctorum, & testium Iesu Christi feris & a-
litibus passim proiecta, nequa fortè ab illis
contagio manes eorum inficeret, ab honore
communis sepulturæ depulerunt. Neq; de duo-
bus aliquibus Hierosolymitanis accipi potest

quod subiungitur, *h* *Et inhabitantes terrã gaude-* *h* *Vers. 10.*
bunt super illos (testes occisos) & letabuntur, &

munera mittent inuicem, quoniam hi duo Pro-
phetae cruciauerunt eos qui habitabant super ter-
ram. Nunquis putauerit duos sufficere qui ser-
monibus suis crucient orbem terrarum, & te-
stimonio suo populos in hanc insaniam ver-
tant? aut credibile est tribus diebus & dimidio,
vt isti ad literam interpretantur, duorum ho-
minum necem in vniuersum orbem perferri,
vt sibi gentes & populi de illorum tam exopta-
ta nece gratulentur? Nihil minùs. At vltro fuit
sensus si de testibus illis & martyribus expona-
mus, quibus gentes è Romano imperio tyran-
nidi & furori suo seruientes, ob Christi testi-
monium infrenduerunt de cædibus eorum
continuis & sanguine vehementer sibi gratu-
lantes, & inde sibi fausta omnia & foelicia pro-
mittentes, vt in illo *Maximini* rescripto apud *i* *Euseb. hist.*

k Fr. Ribe.
in Zach. 4.
August in
Apoc. hom.
8.

m Beda in
Apoc. cap.
11.

n Hieron.
epist. de s.
quaest. Mar-
cella. tom. 3.

Eusebium videre est. Ac ne nostram tantum hac in re sententiam sequi videamur, suum nobis *Augustinus* aliqua ex parte calculum apponit, (siquidem illius sint observationes illæ in Apocalypsin quas *Franciscus Ribera* & *Tycho-nii* esse vult) qui duos testes, duo testamenta exponens, quibus vniuersum fidei nostræ testimonium & omnis quorumcunque testium prophetia continetur; concludit tandem: *Excluditur omnis suspicio quorundam, qui putant hos duos testes duos viros esse, & ante Christi aduentum cælum in nubibus ascendisse. Quomodo autem potuerunt habitantes terram de duorum nece gaudere, quum in una civitate morerentur, & munera inuicem mittere, si tres dies sunt, quò antequam gaudeant de nece contristentur de resurrectione?* Eò *m* Beda quoque adductus est, vt in testibus illis *Ecclesiam* intelligeret veteris & noui Testamenti doctrinis illuminatam. Quod verò locus ille Apocalypcticus non sit ad literam de *Enoch* & *Elia* intelligendus, testis sit vnus instar omnium *Hieronimus*, qui interrogatus à *Marcella* vtrum *n* viuentes in aduentu Christi rapti obuiam ei in nubibus sic occurrant in corporibus & non antè moriantur, cum & Dominus noster mortuus sit, & *Enoch* atque *Elias* secundum Apocalypsin *Ioannis* morituri esse dicantur, ne scilicet vllus sit qui non gustauerit mortem; respondet: De *Enoch* & *Elia* quos venturos Apocalypsis refert & esse morituros, non est istius temporis disputatio, cum omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit vt nos existimamus, aut si carnalem interpretationem sequimur, Iudaicis

daicis fabulis acquiescendum sit, ut rursus edificetur Hierusalem & hostiæ offerantur in Templo & spiritali cultu imminuto, carnales obtineant ceremonie. Dicantur ergò duo illi testes *Enoch* & *Elias*: saltem hoc Ecclesiæ consuetudini concedatur: quòd si *Enoch* & *Eliam* carnaliter & ad literam accipiamus, & historiam illam è nudo verborum cortice interpretemur, Iudæorum errori nos patrocinari testatur *Hieronymus*, & spiritualem Apocalypseos intelligentiam præuaricari.

4 Qui verò numerum hîc personarum simpliciter binarium intelligi volunt, qua tandem ratione confirmant *Enoch* & *Eliam* duos istos testes esse oportere? Id quidem patres nonnulli dixerunt, sed videndum quo fundamento, qua fide dixerunt. Ingenua est *Arethæ* confessio: ^o De *Enoch* testimonium quod ad aduentum spectet, ex scriptura non habemus, præter transpositionem ne gustaret mortem. Accedat ad *Aretham* *Ioannes Hentenius* in præfatione operis illius: *P* Non dicitur hîc vel alibi in sacris li-

o *Areth. in*
Apoc. cap.
11.

p *Io. Hent-*
en. præfat.
ad com-
ment. *A-*
reth. in A-
poc.

H ventu-

q Victorin.
in Apoc.
cap. 11. a-
pud Sixt.
Senex. bi.
bliot. lib. 6.
annot. 346.

r Hilar. in
Matt. can.
20.

f Eccles. 44.
16.

t August.
de ciuit.
dei. lib. 17.
cap. 20.

v Hieron.
prafa. ad
prou. So-
lom. Ruf-
fin. in ex-
pos. symb.
apud Cy-
prian.

venturum esse cum Elia Thesbite. Id verò falsum esse constat. Victorinus enim longè antiquior Aretha, quiddam aliud refert: 9 Multi, inquit, putant unum ex his testibus esse Eliam; alterum aut Elizeum aut Mosen, sed utrique mortui sunt: Ieremiæ autem mors non inuenitur: quia omnes veteres nostri tradiderunt illum esse Ieremiam. Et huius quidem rei argumentum affert non minùs probabile, quàm quæ à Bellarm. pro Enoch & Elia adducta sunt. Hilarius tamen Mo- sen cum Elia venturum defendit, & varias quæ ferebantur opiniones de Enoch & Ieremia, qua- si quæ fidem corrumpant, reiiciendas arbitratur. Videmus ergò quàm ab incertis initiis profe- ctum sit, quod certissimum Bellarminus & ve- rissimum esse persuadet.

5 Sed non vult ille tamen omni patrocini- o destitutus videri: itaque loca quædam adducit in speciem, quibus imperitorum oculos fallat: ipse verò nihil se proficere apud animum suum conuictus tenetur. Ac de Enoch, vt ab illo or- diamur, locum adducit Ecclesiastici; Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. Est autem Ecclesiasti- cus ex illis libris, qui ^t quia non sunt in canone Iudæorum, aduersus contradictores non tanta fir- mitate proferuntur, & ^u ab Ecclesia recepti sunt qui legerentur quidem ad edificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Quanquam quid ille dicit quod vel nutu aliquo leuissimo causæ tuæ fauere vi- deatur? Translatus est, inquis, in Paradisum vt det gentibus pœnitentiam. Quid ad rem? Dicit, inquis,

inquis, Enoch illum venturum ut det gentibus penitentiam, qui translatus est in Paradisum. Impostor, ubi tandem aduentus ille quem commemoras? ubi dicit venturum Enoch ut det gentibus penitentiam? Quate fronte, qua conscientia esse putemus, cui pro nihilo est tam aperte mentiri? At inquis fortassè, qui tandem daturus est gentibus penitentiam qui translatus est, nisi in hanc vitam rediturus credatur? Attende verò Græcam sententiam, & intelliges eum translatum ut sit ὑπόδειγμα μετανοίας τῆς γενεᾶς, hoc est, ut vertit ad verbum Arias Montanus; ^x exemplum penitentiae generationibus. Ex quo manifestum est quid voluerit illo loco Syracides: gentes ab Enocho non futuro aliquo ministerio, sed exemplo præterito ad penitentiam informari oportere. Nam qui in illo videmus tantam pietatis & iustitiæ mercedem præcessisse, monemur illius exemplo corruptelam huius seculi vitare, & pietatem eius imitari, ut eandem cum illo immortalitatem consequamur. Hic verò dum figmentum tuum quoquo modo propugnas, operæ pretium est videre quomodo cum sacris scripturis litem exerceas. ^y Translatus est Enoch, inquit scriptura, ne videret mortem. Tu illum in illa translatione servatum defendis, ut Antichristi manu moriatur. Num tibi consentaneum videtur, ut qui translatus est ne videret mortem, eundem morti servatum arbitremur? ^z Scriptura dixit, inquit Chrysostronus, quòd transtulit illum Deus, & quòd viventem transtulit, nec mortem expertus sit, sed ob suum quem apud Deum fauorem

x Ar. Montanus Vers. inter lin.

y Heb. 11. 5.

z Chrysostr. in Gen. hom. 21.

rem habebat superior factus sit diuina sententia contra humanum genus prolata. Quomodo verò superior factus est diuina illa sententia contra humanum genus prolata, qui secundum te nondum conditione mortis exemptus est? Idem alibi: ^a Ostendit, inquit, in illo Deus quia soluta est mors. Quomodo id ostendisse videbitur, si illum adhuc moriturum statuamus? Quando ergò manifesto scripturæ testimonio sententia tua repugnat, frustra tu nobis quorumlibet scriptorum incertis opinionibus molestiam faccessis.

a Chrysoft.
in Hebr.
hom. 22.

6 De Elia probationem affers speciosiore aliquantulum, solidiorem nequaquam. Et certè mirum est opinionem illam de reditu Eliæ corporali tantum apud veteres inualuisse, quam constat à Iudæo iam errore profectam esse, & ab hæreticis Ecclesiæ propinatam. ^b Iudæi, inquit Hieronymus, hoc quod dicitur, Ecce ego mittam angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam, de Elia Propheta dictum intelligunt, & quod sequitur statim veniet ad Templum suum dominator quem vos queritis, &c. referunt ad ἡλειμμένον hoc est, Christum suum, quem dicunt ultimo tempore esse venturum. Et postea cum Iudæis hæreticos coniungens; ^c Iudæi, inquit, & Iudaizantes hæretici ante ἡλειμμένον suum Eliam putant esse venturum & restitutum omnia. Vnde & Christo in Euangelio proponitur quæstio: Quid quod Pharisei dicunt, quòd Elias venturus est? Illi namque ad literam interpretantes quod scriptum est, ^d Ecce mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini,

b Hieron.
in Mal. ca.
3.

c In cap. 4.

d Mal 4.5.

ni, &c. imperitè confingunt, ipsummet illum Eliam qui in cœlum raptus commemoratur, ante Messiā aduentum esse ad illos corpore rediturum. Hoc hæreticos arripuisse notat Hieronymus, qui à primo aduentu, quem intelligunt Iudæi ad secundum Christi aduentum transtulerunt. Inde nata opinio est Eliam in fine seculi venturum, qui pro Iudæis conuertendis & fide electorum conseruanda cum Antichristo bellum gerat. Bellarmino placet cum hæreticis sentire, & verum illum Eliam simul cum Antichristo expectandum esse defendit: quo id argumento faciat examinemus. Primum ergò mutuatur à Iudæis è Malachiā loco depromptum: *Ecce mittam vobis Eliam* e Mal. 4. 5. *prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Vbi primo loco obseruandum est, vnicam esse & de re vna prophetiam, quam si absque illo Eliæ aduentu quem Pontificii somniant completam esse demonstremus, sequetur ad futuram aliquam Eliæ apparitionem accommodari non posse. Iam illud manifestum est, quod Iudæi quoq; viderunt prius illud, *Ecce ego mit-* f. Mal. 3. 1. *to angelum meum & preparabit viam ante faciem meam,* & illud posterius, *Ecce ego mittam Eliam Prophetã &c.* ad vnum & idem esse referenda. At prius illud in Ioanne Baptista Christus effectum dedit. *Hic est enim,* inquit Christus, *de quo scriptum est. Ecce ego mittam Angelum meum*
ante

ante faciem tuam, &c. Itaque posterius quoque in Ioanne Baptista completum est. Porro quod sub Eliæ nomine vaticinatur, mittendum illum esse *vt conuertat corda patrum ad filios, &c.* id ad Ioannis officium pertinuisse, quod erat *parare viam Domino*, confirmat Angelus, qui v-
 g *Luc. 1. 16.* trunque in unum componit, dicens; & *Multos*
 17. *filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ip-
 sorum; Et precedet ipse ante eum in spiritu &
 virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum ad fi-
 lios, & incredulos ad prudentiam iustorum, vt pa-
 ret Domino plebem perfectam. Quod si Ioannes
 parans Domino plebem perfectam, id ipsum agat
 & impleat quod Eliæ proprium esse describi-
 tur, conuertere cor patrum ad filios, &c. certè
 non alterum Eliam, alterum Ioannem, sed v-
 num & eundem Ioannem simul & Eliam in-
 telligi necesse est. Itaque cur illum *Eliam* pro-
 pheta nominet angelus ostendit, quia *domi-
 num precedit in spiritu & virtute Eliæ*, vt Elias
 quodammodo esse videatur, non vnitate per-
 sonæ, sed virtute spiritus & officii potestate. In-
 de Origenes alludens ad illud quod de Elizeo
 dictum est: ^b *spiritus Eliæ requiescit super Eli-
 zeum; Quia, inquit, spiritus Eliæ tantum in Eli-
 zeo requieuit, Ioannes autem precessit ante Chri-
 stum non solum in spiritu sed etiam in virtute Eliæ
 ideo Elizeus quidem non est dictus Elias, Ioannes
 autem dictus est ipse esse Elias.* Et hanc quidem il-
 lius prophetiæ mentem aperuit Hieronymus:
 i ^c *Dominus noster, inquit in Euangelio Eliam pro-
 phetam Ioannem Baptistam interpretans loqui-
 tur,**

h Orig. in
 Matt. 17.
 tract. 3.

i Hieron.
 in Mal. ca.
 3.

tur, Si vultis scire, ipse est Elias qui venturus est; de quo & hic idem propheta quem nunc differimus scribit in fine. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, &c. Quomodo autem Ioannes Elias sit, dedit nobis viam intelligentiæ, in virtute & spiritu Elie eum venisse commemorans. Quod si de Ioanne Baptista dixit Malachias; Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, &c. de altero certè Elia in fine seculi venturo intelligi non potest.

7 Veruntamen excipit Bellarminus, Hieronymo aliter visum vbi commentatur in *Mattheum*, scilicet aliorum fortasse sententiam, vt sæpe solet, in commentarios suos referens, pondus eius & veritatem nimia festinatione non considerans. Sed quia secundæ cogitationes sunt sapientiores, potiùs amplectimur quod Hieronymus senior iam factus maturiori iudicio scripsit, qui ^k commentarios istos in *Prophetas in senectute dictavit, cum iam caligantibus oculis & trementibus digitis laborem propria scribendi manu ferre non posset.* Veram autem esse illam Hieronymi interpretationem, & locum illum totum ad *Ioannem Baptistam* & priorem Christi aduentum esse referendum, testis est, *Bellarmine*, de cuius *Arias Montanus*, vir, vt è Pontificiis quisquam, maximo iudicio, qui tuum illud commentum ne commemorans quidem, ita commentatur illam sententiam: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, &c.*

^l *Euangelii, inquit, hoc est, boni & salutaris nunciu initia vt illustria omnibus apertaq; essent, ab Elie legatione facienda esse, Deus apud hunc va-*

k *Sixt. Senens. bibli. lib. 4. in Hieronymo.*

l *Ar. Montan. in Mal. 4.*

tem

tem manifestè, & apud alios etiam certa significatione prædixit. Cuius legati quanta auctoritas, quales partes, quæ munera, quod officii genus, quanta etiam in agendo dignitas futura esset, vel uno Eliæ nomine & exemplo significatum est. Etenim ut Elias turbulentissimis Israelitarum rerum temporibus, maxima & diuina planè auctoritate præditus, religionis violatæ, & pietatis proditæ causam aduersus populos & reges grauissimè & constantissime egit, diuinâq; partes per omnem vitam defendit; sic eodè exemplo Prophetam quendam extitutum esse Deus per Vates prædixerat, qui ab alienatum à vera & integra pietate populum ad fidem officiumq; reuocaret, atq; diuinis accipiendis beneficiis aptum habilemq; redderet. Hunc autem propter auctoritatis, officii & actionum similitudinem Eliam alterum appellauit Deus. Atque his rebus, nominibusq; cunctis, Ioannis Zachariæ filii cognomento Baptistæ ratio omnis descripta & significata, atque à cœlesti demum interprete explicata est. Testis Paulus Episcopus Burgenis: ^m Videtur propriè exponendum de Ioanne Baptista, qui præcessit Christum in spiritu & virtute Eliæ. Testis Ioannes Hentenius; ⁿ Quod Mal. 4. dicitur de Elia quòd conuertet cor patrum ad filios, Gabriel Luc. I. annuncians Ioannis conceptionem, dicit in eo complendum. Testis ^o Vatablus, & alii nonnulli, quos agnoscit Franciscus Ribera Iesuita Malachiæ locum de Ioanne Baptista interpretari. Atq; idem Rupertum inducit de aduentu Eliæ dubitantem & planè nescientem quid pro certo statuatur: De aduentu, inquit, Eliæ quicquam definire non ausum, quia videlicet do-

m Burgen.
apud Ly-
ran. in

Mal. 4. ad.
dit. 2.

n Henten.
præfat. ad
comment.

Aretha in
Apoc.

o Fran. Ri-
bera in

Mal. cap. 4
p Rupert.

apud Ribe-
ram Mal.

cap. 4.

cer do-

cet doctorum alii quibus omnes ferè consentimus, credunt eum ad literam esse venturum & restitutum omnia, & mortis debitum persolaturum: alii verò nequaquam, quibus vir illustris beatus Hieronymus consentire videtur. Vbi iam candor Bellarmini, qui quod apud suos partim negatum planè, partim controuersum esse videt, perinde tamen vrget ac si veterum omniũ & nouorũ vno consensu, vna voce conclamatũ esset?

8 Verùm vt istos mittamus, Prophetæ nemo est melior interpretes Iesu Christo, qui de Ioanne Baptista perspicuè testatur, 9 Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est: quasi dicat, Ioannes ipse est Elias, quem Malachias sub Eliæ nomine promisit: vel vt Theophylactus; Si vultis accipere, hoc est, si sana mente iudicatis non inuida, ipse est Elias quem dixit Propheta Malachias venturum. Non dixit Christus absolute, Ipse est Elias, ait Abulensis sed Elias qui venturus est, quasi dicat, Elias qui promittitur venturus, iste Ioannes est. Qui si rectè verborum Christi sententiam reddit, vtcunque alioqui in fabulam de Eliæ reditu propensus, illam tamen euertit, quod de Theophylacto quoque dictum volo, quia si Ioannes ille sit Elias de quo Malachias viticinatus est planè nihil relictum habemus de quo alterum Eliæ aduentum affirmare possimus. Id verò ex altero Christi responso manifestius adhuc efficitur. Receptum erat apud Iudæos ante aduentum Messia, Eliam esse venturum. Id autem non aliunde didicerant, quàm à Propheta Malachia. Iam verò discipuli, cùm transfiguratione

q Mat. 11.
14.
r Ferus in
Matt. 11.
s Theophyl.
ibid.

t Abulen.
in Mat. ca.
11. qu. 4.

rione Christi vocem illam cœlitus audierant,
 u *Mat. 17.* ^u *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene*
 5. *complacui: ipsum audite; atque ita Christum esse*
 verum illum Messiam intellexerant, sciscitan-
 x *Vers. 10.* tur à Christo, ^x *Quid ergo dicunt Scribæ, quòd*
Eliam oporteat primùm venire? quasi dicant;
 Quum te illum esse constet (id quod iam nunc
 de cœlo denunciatum audimus) quem Deus
 nobis restauratorem generis nostri promisit,
 qua ratione Scribæ asserunt ante Messiam *E-*
liam primò venturum, tēque hoc argumento
 negant esse Messiam, quia de aduentu *Elie* ni-
 hil adhuc compertum est? Hanc veram fuisse
 occasionem quæstionis discipulorum, defen-
 y *Abulen.*
 dit *Abulensis*: & *huic conuenit, inquit, respon-*
 sio *Christi, non in aliis sensibus.* Responsio verò
 x *Mat. 17.*
 y *quest. 132.* *Christi partim concessione conficitur, partim*
 correctione. Concedit quod dicunt, senten-
 tiam dictorum corrigit. *Elias quidem venturus*
est primùm, & restituet omnia, sed dico vobis, quia
Elias iam venit, & non cognouerunt eum, &c.
 Quid hoc vult aliud, quàm verum quidem esse
 quod illi aiunt, aduentum Messicę ab *Elia* præue-
 niri oportere, sed malè ab illis intellectum esse?
 quippe venisse iam *Eliam* in *Ioanne Baptista*, vt
 nihil sit in hoc impeditenti, quin ipsum verè
 Messiam agnoscant; sed tamen ab illis cogni-
 tum non esse, quia per errorem de ipsomet *E-*
lia dictum acceperunt, quod erat de eo dictum
 qui venturus erat in spiritu & virtute *Elie*.
 9 Hic verò *Bellarminus* quod per se perspi-
 cum est & manifestum caligine, quantum po-
 test & tenebris inuoluit, & sententiam Christi,
 quæ

quæ somnium eius de futuro *Eliæ* aduentu luculentissimè refellit, ad causæ suæ patrocinium violentè inflectit. Ait *verba Domini de vero Eliæ, non de Ioanne intelligi, qui Ioannes iam venerat & absoluerat cursum suum, & tamen Dominus ait Elias venturus est.* At tu pro ea qua es grammaticæ facultate, expone, quæso, quid illud sit quod *Ioannes* discipulos suos ad Christum misit sciscitatuos: *⁂ Tu es qui venturus es, ⁂ Mat. 11. 3.* an alium expectabimus? Haud dubium quin *Ioannes* Christum sat benè nouerit, sed discipulos suos doceri vult *Christum illum esse qui venturus est.* An tu ergò Christum minimè tum venisse contenderis, quia *venturus à Ioanne* nominatur? An ita collegeris, venit iam Christus ad quem mittit, *venturus est* de quo interrogat? non est ergò Christus venturus ille de quo interrogat? Næ tu pulchram hoc modo Iudæis operam nauaueris. Quod ne facias, *venturum* interpretaris ab edita prophetia, & illam *Ioannis* quæstionem planiùs explicas; Tu is es quem prophetæ venturum prænunciarunt? sic Abulensis, *⁂ Qui venturus est, id est, qui venturus erat: nam iam venerat, sed dicitur, qui venturus est, quia venturus promittitur in scriptura.* Perinde ergo Christus rerum ordinem ad prophetiæ thesin pertexens, *Elias, inquit, venturus est primùm, id est, antè Messiam; sed mox ad hypothesin deducens, & prophetiæ actum indicans, Elias iam venit, inquit, & illa prophetia tota completa est.* Tu, ne sit Pontifex Antichristus, Euangelium defendis antequam adueniat Antichristus esse toto orbe prædicandum. Et ego

a Abulen.
in Matt.
cap. 11.

tibi respondeo, Euangelium quidem ante aduentum Antichristi toto orbe prædicabitur, & salutaris illa legatio beatæ pacis ad omnes gentes perferetur, sed iam olim prædicatio illa consummata est, & Euangelium ab ipso Apostolorum tempore per vniuersum orbem disseminatum. Hic si tu illud arripueris: Euangelium quidem prædicabitur toto orbe, & quia dico (prædicabitur) tanquam de re futura, per me constare disputaueris, nondum Euangelium esse toto orbe publicatum; nonne absurdè egeris, & merum te nugatorem ostenderis? Et quid *Thomæ* tuo dixeris quem antè citauimus in hæc verba; *b* *Est hoc conueniens signum quòd Christus veniet, quando Romanum imperium omnibus dominabitur?* An tibi placebit qui illum de Christo adhuc venturo loqui dixerit? Quod si illud tibi displicet, quì placet, vt quod thetica sententia Christus, & ad subiectum siue materiam nondum accommodata proponit, *Elias quidem venturus est primum*, id arripias, & contra hypothesin Christi clarissimam, *Dico vobis quia Elias iam venit*, Eliam nondum venisse cauilleris? Sed moneat te *Origenes* *c* nihil absurdi esse vt Ioannes conuertens in spiritu & virtute *Eliæ* corda patrum ad filios, dicatur propter hunc spiritum *Elias qui venturus est*, qui tamen alterum illum aduentum *Eliæ* sub Antichristo futurum ne somniauit quidem. Denique breuissimè *Hieronimus* locum illum reddit: *d* *Christo in Euangelio proponitur questio, Quid quòd scribæ dicunt quòd Helias venturus est? Quibus ille respondit, Elias quidem veniet,*

b *Tho. A.*
quin. in 2.
Theff. 2.
lect. 1.

c *Orig. in*
Ioan. tom.
7.

d *Hieron.*
in. Mal.
cap. 4.

veniet, & si creditis iam venit, in Elia Ioannem intelligens. Veniet & venit, vtrūq; ad Ioannem accommodat, vt præter Ioannem nemo alter Elias intelligatur in verbis Christi, Elias venturus est.

10 Atqui Bellarminus, vt est veterator & perfidus, quò causam suam iuuet, particulam expungit quæ toti sententiæ lumen addit. Nam quod apud Euangelistam habetur, *Elias quidem venturus est PRIMVM & restituet omnia*, hoc ille legit, *Elias quidem venturus est & restituet omnia*. Atqui oro te, Bellarmine, vt nobis expedias voculam illam *Primum*, quò tandem referri debeat, scribe dicunt quòd Eliam oporteat *primùm venire*. Quid est illud *Primum*? Quid, nisi priusquam *Messias venturus sit*? Quin ergò ne absurdus sis, accommodatè ad quæstionem Christi responsum intellige, *Venturus est quidem Elias priusquam Messias venturus sit*. Ita velis nolis aduentus *Eliæ* quem Christus intendit priorem Christi aduentum antecedit, qui *Messia* aduentus intelligitur, & de quo Christus à discipulis interrogatur. Hoc obseruauit *Origenes*, quæstionem tamen discipulorum inde deducens, quòd *Eliam* cum Christo præsentem in monte viderant. ^e *Discipuli* inquit, *qui cum Christo ascenderant super montem recordabantur traditionum scribarum de Elia propheta, quoniam ante aduentum Christi erat venturus, vt præparet animas que suscipiant eum. Visio autem quæ facta erat in monte, in qua etiam Elias est visus, videbatur eis non conuenire cum traditione scribarum de Elia,*

e Orig. in
Mat. 17.
tract. 3.

quia non ante Christum eis videbatur Elias venisse, sed cum Christo. Ideo falsum existimantes traditionem scribarum propter huiusmodi visionem de Elia, dixerunt, *Quid ergo dicunt scribæ Eliam oportet primùm venire? Tu enim nobis manifestatus es ante Eliam, & priusquam ille ad hanc vitam humanam venisti. Ad hoc respondit Iesus, non reprobans quidem quæ à scribis tradita sunt de Elia, sed alium Eliæ aduentum ante se indicans factum, quem ignorauerunt scribæ. Ideo respondens Iesus dixit, Elias quidem venturus est primùm & restituet omnia; dico autem vobis, quia Elias iam venit. Vbi apertè significat priorem clausulam, Elias quidem venturus est primùm pro concessione esse positam eius quod scribæ dixerunt: posteriorem verò, Ego autem dico vobis quia Elias iam venit, eò seruire, vt intelligatur omninò factum esse quod prius ex scribarum doctrina concedit fieri oportere. Quod autem au-*

f Marc. 9. 13 ditur apud Marcum, *f sicut scriptum est de eo, planè conuincit id quod de Elia scriptum est, non aliò debere quàm ad Ioannem Baptistam accommodari. Nam si in Ioanne Baptista venit Elias, sicut de eo scriptum est, certè post Ioannem Baptistam nihil habemus scriptum quod de illo altero Elia venturo intelligamus.*

II Perinde quoque concluditur quod adiungis: *Loquuntur discipuli de illo Elia quem in monte viderant: igitur Christus respondens, Elias quidem venturus est de illo etiam Elia loquitur. Non sequitur, Bellarmine, quod concludis. Esto quòd discipuli ex opinione Scribarum de vero Elia interrogent: quid ad te, quum Christi re-*

sti re-

sti responsio correctio sit erroris illius quem de traditione Scribarum imbibebant, quo verum illum *Eliam* ante aduentum Messiae huic vitae mortali reddendum suspicati sunt? Quare aduersum te fortiori argumento concludimus: *Elias* ille est à *Malachia* promissus de quo Christus ait, *Elias venturus est*. Venisse autem ostendit Christus *Eliam* illum qui à *Malachia* promissus est. Venit ergo *Elias* ille de quo ait, *Elias venturus est*.

12 Iterum tamen vrges adiectam clausulam, *Et restituet omnia*. Id, inquis, non fecit *Ioannes Baptista* nec quis alius: nam restituere omnia, est omnes *Iudeos* & *hereticos*, & fortè multos *Catholicos* ab *Antichristo* deceptos ad veram fidem reuocare. Sed auctoritatem expositio tua desiderat: neque enim probare aliquam possumus quæ de tuo tantum infano cerebro absque testimonio & ratione deprompta est. Enimvero nobis restituere omnia brevis explicatio est eius quod apud prophetam habetur, *g* *Conuertet g* *Mal. 4. 6.* *corda patrum ad filios, &c.* & ab Angelo planius dicitur, *h* *Rebelle conuertet ad prudentiam iustorum, ut paret domino plebem perfectam*. Nec nobis solum, sed & *Fero tuo*: *Quod hic dicit, restituet omnia, in propheta dicitur, conuertet cor patrum ad filios &c.* è contra, hoc est, ut idem *cre-* *i* *Ferus in* *Matt. cap.* *17.* *dant ament, sperent, timeant quod patres eorum*. Ergo restituet omnia, id est, collapsam pietatem instaurabit, iacentem fidem eriget, religionis cultum antiquum & nitorem reuocabit, & populum reducet, ut olim *Elias*, ad cognitionem Dei patrum suorum. Illa verò viæ domi-

k Luc. 1. 76. *nicae & preparatio, quam intelligimus ministerio Ioannis esse deputatam, pulchrè nobis ostendit hanc restitutionem omnium ab illius officio non esse remouendam. Meritò namque restituere omnia dicendus erat, per quem sciendum erat quod pro ¹ via Domino complananda legimus apud prophetam, & apud Euangelistam ad Ioannis officium accommodatur.*
 l Esa. 40. 4. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, &c. Ioannes ergò restituit omnia, dum omnes siue superbos frangit, siue fractos erigit, & ad fidem venturi iam Messiae suscitatur, ut paret Domino plebem perfectam. Neque tamen necesse est omnes Iudæos cum Bellarmino complecti; neque enim ita intelligimus quod de seipso Christus ait, ² Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & ^o Ego cum exaltatus fuero de terra, omnia traham ad me. ^p Traham ad me omnia, id est, omnia prædestinata ad salutem, ait Augustinus, ex quibus omnibus nihil dixit esse periturum cum supra de ouibus suis loqueretur. Eodem modo Ioannes restituit omnia, qui pro latitudine ministerii sui omnes electos ad fidem Christi suscipiendam præparauit. ¹ Dicuntur omnia, id est, multa, ait Abulensis, quia nemo est qui reducat omnia ad bonum statum, cum & ipse Christus non reduxerit omnia efficienter ad bonum, licet sufficienter pro omnibus satisfecit & meruit. Ex his verò tandem apparet quàm ineptè abs te dicatur Ioannem fuisse Eliam promissum, non ad literam, sed allegoricè, quum nullus ad literam Elias, nullus nisi per allegoriam promissus sit, & quum illius prophetiæ materia
 m Luc. 3. 4. *omnis*
 n Mat. 11. 27. *omnis*
 o Ioan. 12. 32. *omnis*
 p August. in Ioan. tr. 52. *omnis*
 q Abulen. in Mat. 17. *omnis**

omnis in *Ioanne* consumpta sit, necessariò conficitur *Eliam* illum alterum quem tu venturum fingis, ex isto lampade, vt ut ignes tuos admoueris, ardere non posse.

13 Sed vnus tibi adhuc angulus relictus est, ex quo *Malachie* locum de secundo Christi aduentu accipiendum esse contendis. Sic enim ait, inquis, *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Primus enim aduentus non vocatur dies magnus & horribilis, sed tempus acceptabile & dies salutis.* At num te fugit, diem Domini tritissima Prophetarum phrasi dictum esse non primum solùm aut secundum Christi aduentum, sed omnem diem qui vltioni & vindictæ constitutus est? Ita *Babyloniis* denunciatur apud *Esaïam*, *Ululate, quia propè est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet.* *Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, &c.* Et *Ægyptiis* apud *Ieremiam*, *Dies illa Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis.* Et *Idumæis* apud *Abdian*, *Iuxta est dies Domini super omnes gentes; sicut fecisti, fiet tibi.* Et *Israëlitis* apud *Amos*: *Vae desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ & non lux.* Sed non erit opus in re aperta morari. Quid ergò impedit, quominus diem Domini de die illo interpretemur, quo extremam illam vastitatem & exterminium genti *Iudæorum* decreuerat? Quòd si illud te mouet quòd *magnus & horribilis* vocatur, nihil est aliud quàm quod de priori illo excidio expressè legitur apud Prophetam: *Magnus dies Domini & hor-*

r *Esa. 13. 6.*s *Ier. 46. 10.*t *Abd. Ser.*

15.

u *Amos. 5.*

18.

x *Ioel. 2. 11.*

ribilis valdè, & quis sustinebit eum? Nec minùs expressè legimus apud eundem Prophetam, *y* *ibid. Vers. 31.* *y* diem Domini magnam & horribilem de primo Christi aduentu, & consequente illum vltima illa calamitate Iudæorum vsurpari. Sic enim locum illum *z* Petrus accommodat, & *a* Hieronymus ex ipsa loci circumstantia colligit sic intelligi oportere. Et certè Malachias vbi ait, *z Act. 2. 20.* *a Hieron. in Joel. cap. 2.* Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, non alium diem describit quàm de quo antè locutus est. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & c. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & c. Ecce dies venit succensa vt caminus. & erunt omnes superbi & omnes impietatem facientes vt stipula, & inflammabit eos, & c. quæ omnia certum est de priori Christi aduentu, & ira Dei deinceps in Iudæorum gentem ventura intelligi debere. Atqui verò objectionem tuam vniuersam tollit popularis tuus *b Ar. Montan. in Mal. cap. 4.* Arias Montanus. *b* Diem Domini, inquit, piis & legitimè preparatis magnum, impiis verò & incredulis horribilem dicit, de quo ipse Ioannes aiebat, Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Atque diem hunc magnum & horribilem non iudicii extremi, sed Messie aduenientis tempus antiqui scribe sapienter interpretabantur, idq; à Christo probatum & confirmatum est. Diem ergò Domini magnum & horribilem, vides primum quidem esse Christi aduentum, sed

sed ferentes secum in credulæ gentis exitium, & improbè contumaces diro anathemate vincientem. Nam cùm illos ad pœnitentiam nec prædicatio *Ioannis*, nec Christi miracula permouerent, effudit in illos Deus iram suam, & memorabili posteris exemplo dilectam in patribus gentem, in perfidia sua perosam, cæcitate sua morituram abiicit. ^c *Venit Ioannes & prædicauit, ait Ferus, sed quia noluerunt credere, subsequuta est dies Domini horribilis, iudicium scilicet Dei tempore Titi & Vespasiani, & percussit terram eorum anathemate.* Ita erat ergò primus Christi aduentus *tempus acceptabile & dies salutis*, quod tu vrges, vt fuerit tamen Christus immorigeris & non credentibus ^d *lapis offensionis & petra scandali.* ^e *Qui ceciderit, inquit, super lapidem istum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum.* Et de die Christi *Ioannes* ita docuit: ^f *Iam securis ad radicem arboris posita est: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem abiicietur.* Postremò non venit Christus, vt tu ais, *iudicare sed iudicari, nec perdere sed saluare*, siquidem pronum & proprium aduentus eius finem attendas: at vbi euentus spectatur ex hominum vitio & obliquitate proficiscens, auditur Christus aliud sonans, ^g *veni in iudicium in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident ceci fiant.* Itaque sæpe illum audimus iudiciarias sententia intonantem, & populo iam desperatissimo terribilis iræ plagas & flagella minitantem. Iam ergò constat *Malachie* locum de primo Christi aduentu, & acerbo Iudææ gentis interitu

c *Ferus in Matt. cap.*

11.

d *Rom. 9.33*

e *Mat. 21.*

44.

f *Mat. 3.10.*

g *Ioan 9.*

39.

h Hieron.
in Mal. 4.
Gloss. or-
din. ibid.

commodissimè explicari. Quanquam vt ad secundum aduentum referatur, parùm te iuuat, si *Hieronimo* credamus, quem author quoque glossæ ordinariæ secutus est, qui in ^b *Elia* chorum omnem *Prophetarum* intelligit, per quos Deus populum suum ad pœnitentiam & fidem inuitabit.

i Heb. 11.5.

14 Iam vbi sub finem adiungis, *alioqui*, hoc est, nisi venturos credamus *Enoch* & *Eliam* vt se Antichristo opponant, non potest reddi ratio cur isti duo rapti sint ante mortem & adhuc viuant in carne mortali, aliquando morituri: ludis petitione principii quod nemo tibi concedendum arbitretur. Etsi enim hoc veterum quorundam coniecturis asseratur, fidem tamen ex scripturis habet nullam. Immo ex parte pugnat cum scripturis. Quòd enim viuat *Enoch* credimus, quia legimus, *Enoch* trās-latus est ne videret mortem: quòd autem viuat in carne mortali, aliquando moriturus, non credimus, quia nō legimus; immò reiicimus, quia huic quod legim⁹ aduersatur, nisi fortè quod legimus, *translatus est ne videret mortem*, improbè velis exponere, translatus est vt sub finem seculi videret mortem. De *Elia* plus ambigitur, quia nihil expressè legitur, vtrum exuto corpore an corpore quoq; raptus in cœlum credendus sit. Quanquam vt demus illum adhuc esse corpore superstitem, longè tamen abest vt propterea viuat in carne mortali aliquando moriturus, nec id potes argumento aliquo vel probabili effectum dare. Quæ enim ex patribus affers eiusmodi sunt, vt ex patribus habeamus cur illa nobis ambigua & in-

& incerta esse debeant. Ac de *Enocho* quidem *Gregorius Nazianzenus*, ^k *Enochus translatus* est ille quidem, nondum tamen liquet, naturamne Dei iam comprehendat, an adhuc comprehensus sit. At liquet non comprehendisse, si liqueat quod vult *Bellarminus*, viuere illum adhuc in carne mortali, quia in carne mortali naturam Dei comprehendere nemo poterit. Et de eodem *Chrysostramus*: ^l *si quis curiosius rogare velit* & dicere, Et quò ipsum transtulit, & num usq; ad presens vixerit? (scilicet in carne mortali) ^m *discat* non conuenire humanis mentibus curiosius ea quæ à Deo fiunt explorare, sed credere his quæ dicuntur scriptura dixit, quòd transtulit illum Deus, &c. quò autem illum transtulerit, quomodo nunc agat, hoc non adiecit. Et alibi de vtrisque: ⁿ *Multi* querunt quò translatus sit *Enoch*, & quare translatus sit, & quare non fuerit mortuus neque ipse neq; *Elias*; & si adhuc viuunt quomodo viuunt, aut in quali habitu, sed superuacaneum est ista requirere. Quia verò translatus sit iste, & quia assumptus est ille, scripturae dixerunt; ubi autem sint & quomodo, non addiderunt. Ita de *Enocho* *Oecumenius*: ^o *Viuens translatus est & viuit adhuc*, parro ubi & quomodo, incertum est. Et *Theophylactus*, ^p *Quò sit ille traductus aut quemadmodum vitam agat*, incertum est, scriptura nil ultra significante. Quòd si scriptura nihil ultra significet, *Augustini* regula nobis metam figit: *Vbi de re obscurissima disputatur, nõ adiuantibus diuinarum scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana presumptio, nihil faciens in alterã partẽ declinando.* Nimiũ tu ergo, *Bellar-*

k *Gregor. Nazianzen. de Theolog. orat. 2.*

l *Chrysostr. in Gen. hom. 21.*

m *In epist. ad Heb. hom. 22.*

n *Oecumen. in epist. ad Heb. cap. 11.*
o *Theophyl. ibid.*

p *August. de pecc. mer. & remiss. lib. 2. cap. 36.*

Bellarmino, confidentèr ista definis, & præceptum est sententia tua, qua nullo scripturæ testimonio præeunte contendis viuere adhuc *Enochum* & *Eliam* in carne mortali, & esse tandem aliquando sub Antichristo morituros.

15 Quòd si rationem nullam credis reddi posse cur illi sine morte suscepti uiuant adhuc in Paradiso, nisi ut restituti sub finem seculi cum Antichristo depugnent, & per illum moriantur, poteris tu aliquam à grauissimis scriptoribus admoneri quæ cum ista fabula nihil omninò coniunctum aut cognatum habeat.

q *Theodore-*
ret. in Gen.
qu. 45.

9 *Ego puto*, ait *Theodoretus* de *Enochi* translatione verba faciens, *Deum omnium hoc fecisse ad consolandos virtutis athletas. Cum enim Abel primus iustitiæ fructus immaturus adhuc radicatus abscissus esset, nullaque resurrectionis spes tum homines consolaretur, transtulit Deus ipsum Enoch sibi gratissimum, eumque seiunxit à mortaliū vita, ut quicumque piè viuere statuerit, animaduertat quanto in honore habendus sit, quum Deus omnium qui iustus est, & iustè gubernat vniversa, Enoch honore profecutus sit, Abel quoque ornamento carere non permittet. Hac de causa illum occidi conspexit, Enoch autem transtulit, ut^r hac quasi denunciatione, ut legitur in commentario *Eliæ* apud *Nazianzenum*, resurrectionem futuram significaret, eorumque bonorum quæ altera in vita expectantur participes fore illos qui miseris hîc multipliciter exercentur. Hûc illud pertinet *Augustini*: *Huius Enoch translatio nostræ dedicationis est præfigurata dilatio: quæ quidem iam facta est in Christo capite nostro**

r *Elias in*
comment.
Gregorii
Nazian-
ze. orat. 2.
de Theolog.
August. de
ciuit. Dei.
lib. 15. cap.
19.

nostro

nostro, &c. restat autem altera dedicatio uniuersae domus quae differtur in finem, quando erit omnium resurrectio, &c. Et Epiphanius quoque ab ^t Enoch & Elia testimonium resurrectionis affert aduersus hæreticos, & inde illos resurrectionis nostrae primogenitos appellat. Itaque ut nihil sit Enocho & Eliae negotii cum Antichristo, poterit optimè constare ratio cur translati sint, ad testificandam pietatis mercedem, & resurrectionis nostrae fidem asserendam. Denique id quod Hieronymus ex veterum quorundam commentariis obseruat, præcessit in illis, & exemplo comprobatum est quod Apostolus de sanctis in aduentu Domini super futuris affirmat: ^u Non omnes quidem obdormiemus, omnes autem immutabimur. ^x Super quo Theodorus Heracleotes, Enoch enim, inquit, & Elias mortis necessitate superata, ita ut erant in corporibus de terrena conuersatione ad caelestia regna translati sunt. Vnde & sancti qui Die consummationis atque iudicii in corporibus reperiendi sunt, cum aliis sanctis qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapiuntur in nubibus obuiam Christo in aere, & non gustabunt mortem, eruntque semper cum Domino, grauissima mortis necessitate calcata, &c. Apollinarius licet aliis verbis eadem quae Theodorus asseruit, quosdam non esse morituros & de presenti vita rapiendos in futuram, ut mutatis glorificatisque corporibus sint cum Christo, quod nunc de Enoch & Elia credimus. Quorum testimoniis iugulatur omninò defensio tua, & contra te clarissimè decernitur, Enoch & Eliam non esse morituros, quippe corporibus in caelum

t Epiphanius.
hæresi. 64.
Origen. &
in Anchorato.

u 1. Cor. 15.
51.

x Hieron.
in epist. ad
Miner. &
Alexandrum.

lum sublato, & cum Christo glorificatos esse in exemplum immutationis illius quæ sanctis in aduentu Christi viuentibus obuentura est; ac proinde longè abesse vt in hoc mortale seculum redituri sint, aut negotii quicquam cum Antichristo habituri. Quare tertia quoq; tua demonstratio profligata est, & satis iam, ni fallor, apparet nihil in ea præter temeritatem & vanissimæ coniecturæ leuitatem contineri.

C A P. VII.

De Ecclesiæ persecutione futura sub Antichristo. cont. Bellarm. demonstrat. 4. cap. 7.

QUARTA demonstratio sumitur à persecutione sub Antichristo futura, quam tu grauissimam fore ais ac notissimam, ita vt cessent omnes publicæ religionis ceremoniæ & sacrificia, quorum, inquis, adhuc nihil videmus. Habet autem demonstratio ista partes duas: alteram de atrocitate persecutionis: de religionis publica cessatione alteram. Persecutionem Antichristi grauissimam fore ais comparatè, ita vt omnes superiorum temporum persecutiones longè superet. Talem negas à Pontifice suscitatum: ac proinde illum concludis non esse Antichristum. Eò verò torques quod à Christo dictum est. Matt. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsq; modo, neq; fiet.* Atqui telum hoc præripuit tibi Chrysostomus, qui *de Iudeis sermonem hunc factum fuisse ait, & afflictionibus quæ illis incumbabant.* Aut si illud tibi

*a Chrysost.
in Mat.
hom. 77.*

tibi non satisfacit, audi *Theophylactum* expressius tibi aduersantem: ^b *Quidam de Antichristi diebus hæc intelligunt, sed non sunt hæc intelligenda de Antichristo, sed de captiuitate urbis Hierusalem.* Quin & *Augustinus* obseruat ^c id quod apud *Matthæum* & *Marcum* incertum videtur, utrum de excidio *Hierusalem* intelligi debeat, an de fine seculi, hoc *Lucam* ita posuisse, ut appareat ad illius ciuitatis excidium pertinere. ^d *Uæ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis: erit enim pressura magna super terram & ira populo huic; & cadent in ore gladii, & captiui ducentur in omnes gentes, & calcabitur Hierusalem.* Perbellè verò sentiens hoc sibi telum nullo negotio de manibus extorqueri posse, subsidium aliunde petit, & à *Satanæ* solutione argumentum sibi finxit, quod tamen æquè facile colliquescit. *Apocal. 20.* legimus, inquit, tunc *Satanam* soluendum, qui usque ad illud tempus fuerat ligatus. At quid ad rem, *Bellarmino*, quòd *Satan* sub *Antichristo* soluendus sit? (id quid sibi velit postea dicemus) an verò plus poterit tunc solutus quàm antè poterat quàm esset ligatus? Pone tibi ante oculos tempora illa *Ecclesiæ* primitiæ, & dic nobis ecquid vel cogitando fingere possis, quod persecutionum illarum infandam crudelitatem superare videatur. Memento cruces, & gladios, & equuleos, & ignes, & vncinas, & candentes laminas, & craticulas, & excoriationes, & exoculationes, & rabidos ferarum morsus, & murium ac vespertilionum sensim rodentium cruciatus, & excogitata illa lentarum mortium artificia, &

vide

^b *Theophy.*
in Mat. ca.
24.

^c *August.*
epist: 80.

^d *Luc. 21.*

23.

vide an possit ad barbaram illam immanitatem quicquam accedere, quo se Satan fortio-rem vi-ribus, & tormentis ingeniosiore ostentet, quàm olim fuit. Quòd si non possit (& verè non potest) temerarium est quod affirmas quod ad externas persecutiones attinet, sæuio-
ra futura & asperiora sub Antichristo tempora, quàm vlla vnquam persecutione contigerunt. Enimvero nos qui mille tantùm annos Sata-
nam fuisse ligandum intelligimus, quos à Con-stantini tempore cœpisse non dubitamus, post mille annos credimus ad pristinum ingenium fuisse rediturum; qui verò extrema omnia ten-
tauit, omnes vires adhibuit vt Christi nomen tanquam in primo lacte suffocaret, eum furo-
re & infania plusquàm antè facturum, existima-
re non possumus. Immò expertus primò quid per vim posset, postea per fraudem, & videns plus se occultis insidiis quàm bello manifesto ad perniciem animarum præualere, hac maxi-
mè per Antichristum aggressus est via, & paula-
tim orbem terrarum deduxit in apostasiam illam ab Apostolo prædictam, & perfidiæ ve-
neno quasi lethali quodam toxico sopiuit, vt vitiato semine sterilescens Ecclesia magis & magis, non nisi raram Christo sobolem proge-
neraret, & quos produceret, *sacrificaret Molo-
cho, & Baali* educaret, præterquam paucos quos ex Ecclesiis eiectos & in angulos & ere-
mum contrufos, benignis quidem oculis aspe-
xit Deus, sibi *in spiritu & veritate* seruietes, mundus autem pro monstris habuit, & tan-
quam peregrini orbis homines irrisit, & explo-
sit, &

fit, & nomine hæreseos extremo dignos exterminio iudicavit, ^e *secundum viam quam illi hæ-* e Act.24.
resin appellarunt colentes Deum patrum suorum, 14.
credentes omnibus quæ in Mose & prophetis, &
nouo Testamento scripta sunt. Enimvero in
 fraude & fallacia neruus est regni Antichristi,
 & *aduentus eius in omni seductione iniquitatis &* 2. Theff.2.
efficacia illusionis, qua gentes & populos, hoc est, 10.11.
 ipsam seculi multitudinem suis partibus acquirit, vt non tam habeat quos sibi aduersos temporaliter occidat, quàm quos in perfidiæ suæ societatem & spiritualium stuprorum consuetudinem illectos in æternum secum interitum vehat.

2. Quanquam non erat illa ex aduerso tanta paucitas, quin habeamus per quos in illis ecclesiæ ruinis de numero nostro superbè gloriemur. Nam qui numeros & copias attenderit nutu Pontificis sub nomine Waldensium, Albigenensium, Leonistarum, Wicleuistarum, Hussitarum, Lollardorum, &c. pietatis causa miserrimè laniatas, contemplantur ille animo grandem exercitum pro Christo militantem, & draconem agnoscat bellum *cum semine mulieris* furiosissimè gerentem. Parum est, Bellarmine, quod tu ais, à *Diocletiano septendecim millia Christianorum* interfecta, qui ipse agnoscis ^b sub Innocentio tertio vnica expeditione in ^h *Gallia centum millia* de nostris fuisse trucidata. ^{De notis ecclesia. cap.18.}
 Non erat opus carceribus ad custodiam, vbi ad fugam præoccupandam præsentis morte sublatis sunt quicumque testimonium ferebant Euangelio Iesu Christi. Neque verò magnum est
 K quod

i Matt. Pa-
risien. in
Hen. 3.

k Cam-
pian. Rat. 8

quod addis, *infra biennium tot martyrio corona-
tos, ut impossibile esset numerum eorum inire*
quum de nostris vno & eodem anno intelliga-
mus ex Matthæo Parisiensi, *' Infinitum nu-
merum in partibus Alemmaniae* tuorum manu
cecidisse. Fuerunt quidem ex Albigensibus
quos commemoro, quos simul cum Walden-
sibus nostros fuisse, & nostram in Cimmeriis
illis Papismi tenebris causam egisse gloriamur.
Quos etsi distinguunt à Waldensibus quidam
de Pontificiis hæreseographi, vestigia tamen
eorum in eodem tramite currentium, & in re-
cta fide magna concordia consentientium satis
expressa sunt. Neque moramur quòd qui-
dam eos opinionum monstris oneratos infam-
iæ exponant, quippe qui dum inter se dissen-
tiunt, & alii aliud narrant, alter alterum men-
dicii conuincunt, & planè ostendunt inuidiosè
conficta esse à seipsis, & ab incertis rumoribus
leuissimè collecta, quæ ad illorum nomen com-
maculandum per calumniam obiecta sunt.
Neque verò consuetudinem Pontificiæ gen-
tis ignoramus, quibus pia fraus est, & zeli ca-
tholici fructus eximius, figmentis suis & calu-
mniis Euangelio, quoad possunt, fidem præ-
cludere: qui quum in hac luce non verentur
Ecclesiis nostris & doctorib. *¶* paradoxa & por-
tenta dogmatum attribuere, quæ nobis ne so-
mniantibus quidem vnquam in animum ve-
nerunt, quid non ausuros fuisse putemus in il-
los, quos ita tenuerunt oppressos, ut purgare
se de hæresi non possent, cuius nomine vulgò
execrabiles Deo & hominibus existimati sunt?

Illorum

Illorum verò sententiam, vtcunque inuisam Pontifici & de hæresi damnatam, constat tamen ex Matthæo Parisiensi à nonnullis episcopis temporum illorum fuisse comprobata. Et certe Albigenses eosdem fuisse cum Waldensibus propemodum agnoscit post ^m Æneam Syluium Stapeltonus. Waldensium autem dogmata cum fide nostra conspirasse manifestum est non solùm ex ^o apologia illa quam ipsi pro se Galliarum regi exhibuerunt, sed etiam ex iis quæ de illis tradit passim ^p Alfonso de Castro, inter hæreses enumerans quæ piè ab illis & salubriter ex verbo Dei concepta & prædicata sunt. Ex quo manifestum est, cum Albigenses, tum Waldenses, & reliquos illos quos commemoravi, nomine nostræ religionis omnem illam à Pontificiis persecutionis acerbicatem sustinuisse.

3 Quo in loco non possum satis mirari Papistarum impudentiam, qui quum ipsi videant annales suos nostrorum sanguine subinde conspersos, nec vllam fere paginam, si articulos temporum obseruent martyriis nostris non rubricatam, requirunt tamen à nobis Ecclesiam nostram ante Lutherum, & illum dogmatis nostri patrem & primipilum odiosè declamitant. Et hoc illi quidem in aures imperitorum insufurrant, & scriptis quoque in publicum euulgant, qui tamen optimè sibi conscii sunt quàm pessimè mentiantur. Recogitent enim per quadringentos & ampliùs annos ante Lutherum, quibus Antichristus maximè dominatus est, quæstiones, inquisitiones deliberatio-

In Henr. 3.

m Æne. Syluius hist. Bohem. ca. 35.

n Stapelton. princ. doctrin.

cont. 1. lib. 3. cap. 7.

o Sleidan. comment.

lib. 10.

p Alfons. de Castro aduer. har.

passim.

q Vide Catal. test. Veritat. pag.

424. & deinceps.

nes quæ de nostris reprimendis & extirpandis institutæ sunt: querelas attendant de crescente eorum numero nonnunquam habitas: reuoluant animo proscriptiones, vstiones, clades, quibus in illos ad horrorem vsque sæuitum est in Anglia, Gallia, Hispania, Germania, Bohemia, & alibi passim, & deinde renuncient nobis an seriò credant Ecclesiæ nostræ primordia haud altiùs quàm à Luthero repeti posse.

4 Illorum verò temporum ingenium posterior ætas attentè intuentibus pulchrè depingit. Meminerint enim Gallicanas illas quas excitarunt tragœdias, quibus assecuti sunt, vt parum aut certè nihil à veteri Ethnicorum immanitate abfuisse videantur. Horret animus referre quæ in Merindolum, & Cabrieram, & Costam, & Sanfalesum, & alia quædam oppida & vicus designata sunt: simplicem plebeculam nonnisi precibus & lachrymis armatam, nullo ætatis aut sexus habito delectu, ne grauidarum quidem fæminarum, promiscuè laniatam: quadraginta fæminas in horreum fæno & stramine refertum subiectis ignibus inclusas, & dum ad fenestram aduolantes vt se eiiciant, telis & hastis repelluntur, simul omnes concrematas: viginti quinque in cauernam subductos refugii causa, fumo omnes & igne suffocatos: octingentos ad vnum Cabrieræ oppidum perfidè occisos: quin & hominum odio excisas arbores, succensas ædes, expugnata castella, vt locus omninò desertus redderetur. Quid commemorem Bartholomæanam illam stragem nuptiarum prætextu; Cæsaris Caracallæ stratagemate

*r Sleidan.
comment.
lib. 16.*

*Herodian.
lib. 4.*

tagemate

tagemate, perpetrata, Pontificiæ factionis æternam infamiam, & reliquas illas subinde repetitas clades inermium hominum & nihil mali suspicantium, submissis interim gladiatoribus, dum ad sacras conciones & pietatis negotia sanctissimè conuenirent? Clamat adhuc sanguis ille, & de te ac tuis, Bellarmine, vindictam efflagitat, quam agnoscis in multis principibus viris & magnatibus, quorum auspiciis & authoritate cædes illæ commissæ sunt, spectatissimo totius orbis exemplo præcessisse.

§ Tu verò te credis sanguinem illum omnem vno verbo sustulisse vbi ais non *non persecutione* nostros sed *bello civili cecidisse*, & *multo plures* è vestris occisos esse *quàm inquisitores combusserint*, *fortè in centum annis*. In quo impudentiam tuam mirificè prodis, qui non ignoras innumerabilem hominum multitudinem, bellum ne cogitantium quidem, tuorum armis occubuisse, & tumultuosè cæfos esse, qui resistendi neque animum neque facultatem habuerunt. Quarum iniuriarum atrocitates occasionem fortè dederunt bello civili, dum vim vi propulsant tantummodo, qui contra ius fasque indignissimè habiti, id sibi per patrias leges licere iudicarunt. In quo si de tuis aliqui perierunt, quid aliud quàm authores suæ necis & suorum existimandi sunt, qui contra fidem publicam, contra edicta & pacta, contra patriæ suæ iura, contra optimatum prærogatiuas, contra urbium & ciuitatum immunitates & priuilegia, siue iniusta principum vsurpatione, siue

factiosorum quorundam hominum libidine arma sumpserunt?

6 Hic verò politica res agitur, quid principi juris in subditos per leges cuiusque reipublicæ fundatrices promissum sit; vtrum potestatem habeat infinitam & nullo limite conclusam; an verò moderatam & siue optimatum siue populi arbitrio magis minúsue temperatam. Romanus imperator mero & absoluto imperio gentibus olim præsidebat, arbitrio suo iubebat omnia, leges scripsit & rescripsit, summam vitæ necisque potestatem habuit. Quare nullo prætextu Christiani poterant vim illorum temporum arcere, vel iniurias prohibere quibus vexati sunt. Illarum verò nationum principes, quas commemoras, certos sibi fines constitutos habent; quibus vbi excedunt, licere sibi sentiunt optimates vim iniustam depellere & jugum excutere, quo per nefas & contra leges oppressi sunt. Cuius rei controversia non à religionetantummodo, sed ab aliis quoque politicis negotiis nonnunquam exorta est. Itaque rex Hispanus, qui nonnisi conuentione & pacto principatum habuit prouinciarum Belgicarum, vbi pacto stare desisteret, & contra datam fidem superbè ageret, ipse se exuisse principatu illo putabatur, vt nihil causæ esset prouinciis illis, quominus se tueri armis, & ambitiosam tyrannidem auertere liceret. Galliarum rex maiestatem habet regni multo maiorem, cui tamen pro lege est,

† principem contra leges nihil posse, & rescriptis eius rationem nullam haberi debere, nisi aequitati perinde

*† Bodin.
method.
hist. cap. 6.*

perinde ac veritati consentanea sint. Porro est etiam proceribus reliquisque ordinibus suis honor & dignitas quam regi violare nefas est. Quam quum non ita pridem senserunt heroes regni illius nouorum quorundam hominum factione grauissimè læsam, qui sub obtentu religionis ambitioni suæ feruientes infano furore cœlum terræ miscerent, & lamentabilem totius regni calamitatem minitari viderentur, (quippe omnia pro suo arbitrio facta, infecta, rata, irrita esse iubentes, & edicta publico iure pro conseruanda pace promulgata, libitu suo frustrari non dubitantes) ceperunt illi quidem arma pro regis & regni, suaq; omnium libertate vindicanda, nec ferendum sibi putarunt, vt armata contra leges paucorum hominum insolentia, leges diuinas simul & humanas intolerabili audacia proculcaret. Pugnarunt ergò pro iure suo, non aliquo Ecclesiæ priuilegio, quo illa sibi integrum putet armis se defendere, sed politica libertate, qua, citra principis iniuriam, ordinem suum legibus constitutum aduersus hostes coniuratos, non inferendo bellum sed propulsando tueri licebat. Atque in hoc causa eorum à veteris Ecclesiæ ratione distinguenda est, quæ absque vlllo iuris sui titulo, mero imperii placito subiacebat. Quamdiu verò ita se res habuit, cædebantur, vt tu dicis, Christiani, non cædebant; qui tamen sub Constantino principe iure publico armati non tam cædebantur quàm cædebant, & profligatis tyrannis & Licinio, iugum persecutionis à ceruicibus Ecclesiæ depulerunt. Pari

ratione Ecclesia nostra, cum longo tempore sub Antichristo, nullis secularibus præfidiis adiuta, duram seruitutem seruiisset, postquam ex illis fluctibus, miserante Deo, eluctariam & emergere cœpisset, & legum aliquod præsidium stantibus ab illa principibus & optimatibus obtinuisset, cœpit eatenus uti viribus suis, & armata manu munitam edictis & legibus & priuilegiis religionem ab importuna tyrannorum oppressione vindicare. Quare principes Galliaë quorum interfuit prouidere ne publica libertas per iniuriam opprimeretur, neue quæ lege sancta esse debebant, subreptitiorum quorundam libidine pro irritis & nullis haberentur (qui vsque adeo hostes reip. comperti sunt, ut signiferum seditionis illius Ducem Guisium rex ipse *Henricus*, etsi religione cum eo consentiens, quia iudicio agere non posset, repentino impetu confodiendum curaret) bello iniustam illam violentiam repellendam, & Ecclesiam non nisi iustè armatam, pro ea quam lege habebat libertate conseruanda, in aciem educendam censuerunt. Vbi qui de tuis partibus, *Bellarmino*, ceciderunt, non iniuria persecutionis, sed iustissimæ defensionis impetu perierunt. Quare nihil hîc videmus quominus verissimum sit quod tu ais, *tribulationem*, si eam ut debes, persecutionem intelligas, *solis Ecclesie filiis sub Antichristo futuram*. Quod & semper verum fuisse nemo dubitat, quia^u nunquam agnus lupum, nec rapacem miluum innocua columba persequitur, nec vnquam Ecclesia Christi laudi sibi esse ducit manus sanguine hostium

u Chrysoft.
in Mat.
hom. 19.

stium cruentatas ad cœlum in oratione supplices leuare. Calumnia est ergò, non iusta quærela quam adiungis de *Catholicis potius persecutionem patientibus quàm Lutheranis & Calvinistis*, & nimium impudentèr obiectas nobis pauculos homines perfugas, qui siue cæco zelo pertinaces, siue, quod in plerisque verissimum est, desperatis in patria rebus suis solum verterunt, qui tuis vides parum esse, patria nos aut fortunis omnibus exuisse, nisi bruto furore vitam quoque nobis eripiant, & immanem sitim sanguine restinguant. Vbi verò de numero tuorum ais: *Multò plures Catholicorum furor Calvinistarum intra paucos annos absumpsit, quàm heretici iudicio principũ Catholicorum abnegatæ fidei pœnas dederunt; quàm inquisitores combusserint, fortè in centum annis, egregium te lycophantam cognouerit, qui meminerit, quod apud nos è Gallia publica fama diuulgatum est, præter cæteras clades quibus ingens numerus absumptus est, x centum millia nostrorum, absque vlllo belli apparatu, vnus anni dimidio vestris mucronibus & telis occidisse.* Atque illa quidem Inquisitio vestra, quam tu tam immunem sanguine nostro videri vis, vix triginta annorum spatio y centum quinquaginta millia nostrorum diuersis afflictionum generibus crudelissimè consumpsit. Increpabit te verò Dominus, & mentienti os obstruet, nec excusabit te Surius ille tuus, improbus fabulator, cuius fide videri vis asserere, quod tuum tibi pectus falsissimum esse confirmat.

x *Stoi. annual. Angl. anno. 1562. in marg.*

y *Baleus de act. Rom. Pontif. in fine ex Vergerio.*

7 Nec verò sine mendacii nota prætereun-

dum puto, quòd de pœnis veterum & nostrorum comparatè ais, *Cùm modo summa pœna sit comburi hominem, tunc incredibilia & diuersissima tormentorum genera exercebantur.* Docerunt te namq; , si inquiras, inquisitores hæreticæ prauitatis probrum ipsis futurũ & ingenii maculã, si quid veteres illi martyrũ carnifices asperiùs in pœnis habuisse videãtur, quàm quæ solertissimè ab illis ad exquisitissimos cruciatus ad intimos animæ sensus subtilissimè penetrantes excogitata sunt. Genus hominum plusquam Scythicum, ad pœnarum artes supra omnes Phalarides ingeniosum, nihil satis acerbum existimauit, quo corporum mollitiem & teneros artus vexaret, nec ætati parcens nec sexui, nihil ob aliud quàm fidei conscientiam cum singulari pietate & innocentia coniunctam. Nec tamen inquisitoribus tantum propria est hæc immanitas, sed tota ferè gens Pontificiorum hoc nomine meritò infamis esse debet. Et certè hoc ipso Ecclesia Romana Satanam & Antichristum sapere probatur, quod mansuetos alioqui animos ad sæuitiam & crudelitatem exasperat & obdurat, ita vt quò quisque est illi addictior, eò magis feritatem spiret, & cum voluptate miserorum hominum inter tormenta languentium æstus & angustias intueatur. Enimuero è nostris quoque extiterunt, quorum hac ipsa causa memoria est execrabilis & odiosa, quòd pro ludo habuerint oculos & animos tormentorum alienorum spectaculo saturare. Et quanquam naturã gens nostra sæuitiæ omnis & cru-

& crudelitatis plerumq; spectaculum abhorret; nescio tamen quo modo contingit, vt hanc propemodum naturam exuisse comperti sint quicunq; è nostris Romano Pontifici operam in causa fidei sibi præstandam iudicarunt. Quid illis vnquam dirius aut immanius auditum est, qui^x effusum ex vtero matris ardentis infantulum in ignes abiecerunt simul cum illa comburendum? sed perceperunt isti cum cæteris, nihil dubitamus, mercedem suam in inferno, fruuntibus interim illis beatissima pace, quos tanquam excrementa quædam & stercora, ne humus ab illis inquinamentum caperet, ignibus absumendos statuerunt.

x Foxi
martyro-
log.

8 Quod sequitur, *persecutionem Antichristi fore notissimam*, quorsum adducas non intelligo. Certè mactationibus illis & cladibus quibus Ecclesia nostra vos infestissimos experta est, nihil notius esse potest. Manet adhuc aër infectus nidore carniū nostrarum: terra sanguinem quem de manibus vestris imbibit, assidue Deo sacrificat, & auditur adhuc vox animarum sub ara crucis Christi jacentium: *Vt y Apoc. 6.10. que quo Domine, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* Aut si tibi ista obscura sunt, notantur quoque in historiis & registris circumstantiæ omnes personarum, locorum, temporum, qui, quibus authoribus, vbi, quando, qua causa siue iudicio forensi siue tumultuario impetu à vobis occisi sunt. Quæ quia à vestris quoque scriptoribus indicata sunt, planè te impostorem esse oportet, qui perinde omnia illa præteris ac si nihil
omni.

omninò his de rebus superiorum temporum memoria comprehensum sit. Quod autem ais, aut saltem aisse videri vis, *fictos Christianos qui nunc in Ecclesia sunt, Ecclesiam omninò derelicturos, & contra nomen ipsum, ut tu vis, Ecclesie pugnaturos*, præterquam quod ab Augustino non dicitur falsissimum est, quum constet, quòd iam antè, & partim quidem ex Augustino ipso docuimus, Antichristum sibi ac suis ius & nomen Ecclesie sumpturum, ut titulari Ecclesie nomine palliatus, veram Christi Ecclesiam tanquam lupus vestimentis ouilibus indutus prædetur & perdat.

9 Sed in eo magnum causæ tuæ præsidium esse putas, quòd à nobis putas indicari non posse, *quando cœperit persecutio, illa quam dicimus, nec certum notari tempus quando venerit vel persecutionem inchoauerit Antichristus*. Quæ de re satis iam antè tibi responsum est, in iis quæ paulatim nascuntur, momenta temporum obseruari non posse: initia non semper, immò ferè nunquam percipi eorum, quæ non repentina mutatio, manifesta statim nouitate, sed consuetudo induxit sensim deflexa de via: Antichristum ab ipso ferè Apostolorum sæculo seminatum in Ecclesia, non nisi gradatim incrementum cepisse; tandem verò natum in Ecclesia Romana, vbi quod ambitiosa quadam Romanorum episcoporum vsurpatione sedi illi propter imperii honorem paulò antè quædantenus delatum esse cœperat (qui si exitum rerum rescissent, plerique fortasse consilium suum Ecclesie tam perniciosum cum lacrymis

mis & fletu damnassent) imperatorio quasi diplomate confirmatum est, ut Romanus episcopus vniuersalis totius Ecclesiæ episcopus haberetur. Qui deinceps fracto paulatim imperatore viribusque sibi indies auctis, captiuam sibi magis magisque fecit Ecclesiam, donec omnia sibi subiiciens, apertum cum Euangelio Christi bellum exercuit. Quantas verò interim tragœdias fecerit pro cultu imaginum, pro Transubstantiatione, pro Papali illa omnipotentia introducenda, nemini obscurum esse potest, cui libet in monumentis temporum illorum vel mediocriter versari. Nec verò tu quicquam aliud quàm lectori caliginem offundis, cum certum annum requiris aduentus Antichristi, ac si qui hydropsi lethalem contraxerit, negaret se hydropsi laborare, quia non potest à medico certum ostendi momentum temporis quo cœpit humor noxius ad perniciem corporis abundare. Quanquam verò diuersæ sunt nostrorum opiniones quo tempore Antichristus maximè conspicuus esse cœperit, quas tu specie magis quàm re ipsa discrepantes ad ineptas sententias vafre detorques; vix tamen quisquam est, quod sciam, qui non agnoscat Bonifacium primò Antichristi cathedram in Ecclesia Romana constituisse, & sedem illam Antichristi solium & metropolin deinceps futuram dedicasse.

10 Superest illud nunc ex argumento tuo coniectaneum, *tempore Antichristi propter atrocitatem persecutionis cessare debere publicum Ecclesiæ officium & sacrificium. Antichristum enim*
inter-

interdicturum omnem diuinum cultum, qui in Ecclesiis Christianorum nunc exercetur, ac praesertim sacrosanctum Eucharistiae sacrificium: quod ex Dan. ii. confirmas: A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, &c. Eò quoque testimonia patrum accommodas locum illum sic interpretantium, *Hoc autem signum, inquis, nondum impletum experientia testatur.* Atqui verò absurdè agis, *Bellarmino*, qui sententiam patrum detorques ab eo quod Ecclesiis antiquis vsitatum fuit, ad id quod per vos nunc in Ecclesiis Christianorum exercetur. Nam si ea quæ à vobis in Ecclesiis aguntur cum illis conferas quæ veteris Ecclesiæ archetypo descripta sunt, haud magis conuenire comperis quàm plumbo conuenit cum auro, quàm luto cum gemmis & margaritis. Quòd si, vt debes, intelligas futurum vt Antichristus veterem Ecclesiæ ritum immutet, & pro vero pietatis officio quo Christo seruitum est olim in spiritu & veritate, vacuas quasdam & impostrices umbras quibus illudatur populo Christiano, nefariè substituatur, rectè tu quidem ais, & hoc ipso Romanum Pontificem Antichristum esse confirmas, qui verum omnem & consuetum antiquis Ecclesiis religionis cultum exterminauit, & eius loco spurios & damnatos cultus & ceremonias inuexit cum summa Christi offensione & iniuria coniunctas. Enimverò cum tribus illis tota religionis institutio contineatur, Sancta numinis supplicatione, Verbi Dei prædicatione & auditu, & Pia sacramentorum administratione; de tribus istis, nihil ille

ille integrum reliquit Ecclesiæ, sed impiis superstitionibus omnia peruertit. Nam quid aliud quàm sanctas inuocantium preces ex Ecclesia sustulisse dicendus est, qui preces ex antiquo more vernaculo sermone conceptas exclusit, & linguam peregrinam absque vlllo intelligentiæ fructu demurmurandam introduxit? Quanquam illud magis impium, quòd inuocationem quæ soli debetur Deo per Iesum Christum, Diuis ille suis & Deâbus communicauit, & eò perduxit homines, vt fœliciùs sibi sanctorum opem quàm diuinam misericordiam implorandam iudicarent. Nec tamen eò contentus, illud quoque addidit vt procumberent idolis & imaginibus, & statuis vota sua profunderent, & Ecclesiam de Christi nomine nuncupatam, infano veteris Ethnicismi furore dedecorauit. Porrò verbum Dei non de manibus solùm excussit libros sacros abolendo, sed interuertit quoque ne in auribus sonum ederet, substituto pro veris doctoribus adulterino *predicatorum ordine*, qui somniorum suorum ineptias, & confictas de Legenda fabulas, & monstra quædam ac portentosa visionum & miraculorum inculcando tempus tererent, & pro diuinis præceptis Pontificiarum legum obseruantiam vrgerent, ferro & flammis præsentibus & futuris vindicandam. Quæ verò frustula de sacris scripturis in Liturgias translata sunt, ea fecit non nisi Latine recitari, vt nihil inde ad Ecclesiam emolumenti aut ædificationis posset accedere. Sacramenta mirum in modum fœdauit, vt nemo co-

mo cognouerit eadem esse. Omitto dicere quas in Baptismum nouitates inuexerit; quàm prophanis traditionum excrementis mundissimam Christi cæremoniam conspurcarit. Plus iniuriæ fecit in altero sacramento, vbi mysticam Christi cænam commutauit in scenam, & sanctissimam mensam ioculatoriis ineptiis ridiculam fecit. Sacerdotem in Missa mimum aliquem dixeris in conuiuio, aut exorcistam in circulo: ita nihil habet quod simplicitatem illam referat & grauitatem quæ institutionem Christi præ se ferre videatur. Cænam verò Dominicam patres *iuge sacrificium* appellant, quòd in ea repetita subinde recordatio explicatur vnici sacrificii Iesu Christi: quòd in ea crucem & passionem Christi recolimus: *passio est enim Christi sacrificium quod offerimus*, ait Cyprianus. Neque enim vnquam illis in animum venit merum hîc & verum sacrificium exercere, qui ^a *singulari & solo vero sacrificio Christi pro nobis sanguinem effusum intellexerunt*, quin magis inquirunt, ^b *sacrificii recordationem operamur, & c* *oblationis illius memoriam facimus perinde ac esset hoc tempore immolatus. Perinde ac esset*, inquit, re ipsa verò non credit hoc tempore immolandum, quum tamen ^d *propter sacramenti celebrationem fieri dicatur quocunq; die, quod non illo die, sed iam olim factum est*. Inde ergo iuge sacrificium appellant iugem & assiduam sacrificii Christi commemorationem, qua fidelis quisque Christum pro se Deo quodammodo sacrificat, & filii mortem patri opponit ad remissionem peccatorum per crucem eius

z Cypri. lib.
2. epist. 3.

a August.
cont. ad-
uer. leg. &
proph. lib.
1. cap. 18.

b Chrysoft.
& Ambros.
in Heb. 10.
c Theophil.
ibid.

d August.
epist. 23.

eius & sanguinem obtinendam. Hanc commemorationem Christus instituit mystico pane & calice participando celebrandam. Neque enim nobis otiosum spectaculum, sed spirituale convivium exhibere voluit, ut externa symbola pie percipientes, *e passioni Domini per fidem communicemus, & salubriter atque utiliter in memoria reconditum habeamus quod caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata sit.*

e August.

de doct.

Christ. lib.

3. cap. 16.

II Hanc cænæ mysticæ communicationem quam antiquitas omnis à Christo traditam constantissimè retinuit. Pontifex Romanus ex usu Christianorum exturbavit, eoque ipse ille est Antichristus quem præmoniti sumus iuge illud Ecclesiæ sacrificium aboliturum. Verissimum est, Bellarmine, quod dico, Ecclesiæ omnes loquuntur & clamant sustulisse Romanum Pontificem Eucharistiam illam quam olim legimus in Ecclesia fuisse celebratam, & pro illa ieiunam ceremoniam, populi Christiani ludibrium, substituisse. Ac nequid ad summam impietatem deesset, de sacramento fecit idolum, & ex nomine *corporis Christi* tropica locutione propter *f similitudinem quandam* ad symbolum panis accommodato, *Maozim* deum suum exsculpsit, quem curavit auro & argento colendum, & diuinis quibuslibet honoribus adorandum. Quinetiam ubi se Christum corporaliter præsentem habere persuaserat, de illo nouum sacrificium excogitare ausus est, quod ex vinctis illius & rasis circumforaneus quisque nebulo deo se auferre confidat ad propitiationem pro viuis & mortuis perficiendam.

f August.

epist. 23.

dam. Hoc ille venale prostituuit, & in eo remissionem peccatorum *non auro aut argento, aut rebus corruptibilibus acquisitam, sed pretioso sanguine Iesu Christi*, exposuit inaudito scelere auro & ære redimendam. Ita nomen *iugis sacrificii* callidè ad imposturam retinuit, rem ipsam ab antiquis illis intellectam impiè profli-gavit. Sacrificium obrusit Ecclesia, quo Christum mentitus est quotidie pro peccatis offerri, vt arbitrati homines ibi rem pro se apud Deum esse transactam, nihil sibi vltra requiringendum putarent, & hoc errore seducti in æternum perirent: sacrificium crucis Christi, quo vno pax & vita continetur, quasi sepultum in tenebris reliquit, & virtutem eius modis omnib. celandam putavit, ne illam edocti homines sacrilegum Missæ commentū abhorrerent.

12 Quare tua illa quæ ex præmissis ad finem adiungis, in caput tuū Bellarmine recudimus. Primò colligis *Antichristum nondū venisse, cum adhuc vigeat iuge sacrificiū*. Atqui hoc ipso constat venisse Antichristum, & in Ecclesia regnasse, quia sublatum intelligimus per aliquot se-cula *iuge sacrificium*, hoc est, institutum à Christo Eucharistiæ usum, pro vnico illo sacrificio semel in cruce peracto sacrorum mysteriorum perceptione recolendo. Secundò vbi colligis, Romanum Pontificem non esse Antichristum, sed ei maximè contrarium, *cum sacrificiū quod ille ablatus est hic maximè ornatur & tueatur*, nos contrà reponimus, Romanum Pontificem sine omni controuersia ipsummet esse Antichristum, quia *iuge sacrificium*, hoc est, piam Eucharistiæ

charistiæ celebrationem ab Ecclesia primitiua sanctissimè conseruatam exulare fecit ab Ecclesia, & pro eo commentum nouum, in quo veteris instituti, præter verba quædam, nihil est reliquum, tuetur & defendit. Postremò vbi ais, *huius temporis hæreticos* (per calumniam Ecclesias nostras perstringens) *præ omnibus aliis esse Antichristi præcursores, cum nihil ardentius optāt quàm sacrificium Eucharistiæ penitus abolere,* respondemus, Non Eucharistiæ nos sacrificium abolere, sed Missæ; Eucharistiam nos ingenti Dei beneficio ad veterem normam, consignatā in Euangelio, in antiquis omnibus Liturgiis etsi per vos alioqui deprauatissimis, expressam instaurasse: Missam verò, idolum Pontificis, qua Christi iniuria, ludibrium Ecclesiæ continetur, meritò abhorruisse, quia veterem Eucharistiæ communicandæ morem explosit. Itaq; non esse nos futuri Antichristi præcursores sed hostes reuelati, quibus animus est ad pristinam integritatem omnia reducere, quæ perfidia illius & tyrannide dissipata & disiecta sunt: plurimum gratulantes in illa nos tempora incidisse, quibus complere cœpit Deus quod per Apostolum promisit; *Consumet illum Dominus spiritu* h 2. *Thess. 2*
oris sui. Videmus enim verbo Dei reiectas iam
 fraudes & imposturas, & execrabilem factam perfidiā illius, & pro fatuis ignibus haberi iam fulmina illa quibus orbē terrarum antè perterruit. Quod Deum magis magisq; facturū speramus, donec eū Christus *aboleat presentia aduentus sui.* *Etiā veni Domine Iesu, veni citò,* vt de manibus scelerati illius seruatorum tuorum sanguinem repossas.

CAP. VIII.

*Antichristi tempus tribus annis & dimidio
definiri non posse, contra Bellarm. demon-
strationem quintam. cap. 8.*

ADURATIONE regni Antichristi Bel-
larminus quinto loco demonstrationem
proponit. *Antichristus, inquit, non regnabit nisi
tres annos cum medio. At papa iam regnavit spiri-
tualiter in Ecclesia plusquam mille quingentis an-
nis, nec potest assignari ullus qui sit habitus pro
Antichristo, qui precise regnaverit tribus annis
cum medio: non igitur Papa est Antichristus.
Proinde nondum venit Antichristus.* Q. Roscius
confirmaturus ad patrocinium causæ Quintia-
næ. M. Tullium, ^a *Quid si, inquit, habes eiusmodi
causam ut hoc tibi planum sit faciendum, nemi-
nem esse qui possit biduo, ad summum triduo se-
ptingenta millia passuum ambulare? tamennè ve-
reris ut possis hæc contra Hortensium contendere?
Ille verò, Minimè, sed quid id ad rem? Roscius
verò, Nimirum, inquit, in eo causa consistit. Plu-
ra sunt in hac causa in quibus nostra cum Bel-
larmino disceptatio consistit. Quod si in hac v-
na re tota de Antichristo controuersia verta-
tur. Possitne Antichristus esse qualem Bellar-
minus ipse describit, qui non nisi tres annos &
dimidium regnaturus est, haud minùs in causa
superiores fuerimus, quàm cui id vnum in-
cubuit, ut probaret septingenta milia passuum
non esse decursa biduo. Neque enim magis cre-
dibile est Antichristum tribus annis & dimidio
ea facturum quæ illum Bellarminus facturum
descri-*

*a Cicer. o-
rat. pro P.
Quinctio.*

describit, quàm septingenta millia passuum bi-
 duano aut triduo spacio deambulari posse.
 Antichristum narrat *super Iudæos regnaturum*,
in Ierusalem, & ab illis pro Messia susceptum
 iri. Atqui ni primùm Hierosolymis emine-
 rit, aliquanto tempore opus erit vt eò se con-
 ferat vbi sedem habiturus est. Veruntamen ibi
 fortasse primùm exurget. Esto. Quum verò Iu-
 dæorum gens per vniuersum fere orbem ter-
 rarum mirum in modum dispersa & disiecta
 sit; quos ille nuncios, quos Pegasos habiturus
 est, qui illos circumquaque orbem admoneant
 de Messia scilicet nato iam tandem, & Hieroso-
 lymis imperium obtinente? Festinatò opus est,
 ne de tribus annis & dimidio nimium decedat.
 Itaque tubicinem fortè Solem nactus est, aut
 literis in Lunam inscriptis simul omnes com-
 monefacturus, vt constitutis rebus suis, arre-
 ptis sarcinulis quamprimùm auitam patriam
 repetant, & expectato hactenus gentis suæ li-
 beratori se cupidè committant. Porro tem-
 plum illi Solomonis extruendum asseritur,
 quod ita funditus olim excisum est, vt ne lapis
 quidem eius super lapidem relictus sit. At ædi-
 ficationem templi Solomon quanquam in-
 genti rerum omnium apparatu, operariis vsus
 plusquam centum quinquaginta millibus, b 2. Chron.
 nonnisi ^{2.2.} septem annis compleuit. De secunda
 verò eiusdem instauratione Iudæos audimus c 1. Reg. 6.
 apud Ioannem dicentes; ^{38.} *Quadragesima sex*
annis edificatum est templum hoc. Quid? & tu d Ioan. 2.20
 nobis, Bellarmine triennium narras templo
 Solomonis ædificando, conquirendis opera-

e Cap. 16.

riis, stipendiis procurandis, cædendis lignis & lapidibus, ferramentis & vectibus instruendis com meatui rerum omnium ad necessitatem tanti operis faciundo? Neq; hîc tamen omnia, nam & alibi sic habet: *e Antichristum per fraudes & dolos regnum Iudæorum adepturum; deinde pugnaturum cum tribus regibus, nimirum, Ægypti, Libyæ atque Æthiopiæ, & eorum regna illis denictis occupaturum. Quid? & tantum quoque bellum contra tantos reges (nam Ægypti regnum Turcæ iam possident) tanto tamen successu eodem quoque triennio facturum? scilicet expeditione vsurus maiori quam olim Iulius Cæsar: *Veni, vidi, vici.* Parum verò est: nam & illud quoque addit, *subacturum sibi alios septem reges, & eo modo totius mundi monarcham euasurum.* O strenuum bellatorem, qui tot gentes, armis potentissimas, locis infinitas, quibus visendis & salutandis vix ætas vnus hominis sufficiat, ad quas omnes vix credibile esset vel nomen eius tam repentè peruenire potuisse, quarum imperium populus Romanus vix post septingentos tandem annos assecutus est, ipse vno triennio,*

Par leuibus ventis volucrique simillimus,
 Non inuisere modò, verum etiam inuadere armata manu & domare bello ac frangere, & regno suo adiungere valebit! Atqui verò tuus I. Hentenius: *f Non esset, inquit, possibile ipsum tam paruo tempore tam multa regna ac prouincias obtinere.* Ecquid tamem amplius? Scilicet. Nam quartò illum dicit cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum, & hoc esse prælium

f Henten.
 prafat. ad
 comment.
 Aretha in
 Apoc.

prælium Gog & Magog. Quò illud pertinet quod antè disputatum ab illo est, & effecturum ut toto orbe cessent publicæ religionis ceremoniæ, & iuge Ecclesiæ sacrificium. Satis verò loquentiæ, sapientiæ parum: abundè fabularum audiuius. Non crederent tibi ista ne miriones quidem tui, nisi illos Antichristus ipse Ciræo poculo fascinos, cerebro prorsus & sensu exuisset. Emisit Christus Apostolos diuina virtute maximè conspicuos, miraculorum potestate clarissimos, linguarum & loquendi facultate potentissimos, qui vix tamen viginti annis assecuti sunt, ut Christo Ecclesias per orbem terrarum constituerent: ut idola gentium ubiq; demolerentur, & prophanos ritus publicitùs extirparent, obtinere nõ poterant; & ne quingentis quidem annis eò peruentum est. Et num Christo tantò fœlicior Antichristus, ut triennio aut paulò ampliùs, dissipatas Iudæorum copias in vnum colligat, templum Hierosolymis ædificet, regnum sibi firmet gentis illius; Ægyptum, Libiam atque Æthiopiam hostili manu peruadat; monarchiam totius orbis constituat, Ecclesias ubique orbis euertat, Christianæ pietatis cultum omnem conspicuum tollat, & denique, quod ex Ioanne addimus, gentes omnes & populos ad fornicationum suarum commercium inducat? Quum verò illum ais facturum quoque, ut sibi cultus religionis ubique deferatur, quos illum statuis Apostolos & præcones habiturum, quibus linguis instructos, qui peruolent momento vniuersum orbem, & illos quos præcipiet ritus infor-

ment, & episcopis ac pastoribus abdicatis vrbes & oppida, pagos omnes & vicus non nisi Christi haecenus nomen callentes, ad nouum religionis institutum statim inflectant? Quid Pótifex tuus, & Cardinalium collegium, & clerus ac Ecclesia Romana, & numerosus monachorum & Iesuitarum exercitus: Itanè vos omnes reperiet in fide leuissimos, vt inflata tuba mox obsequentes habiturus sit, nec vel ad vnum annum repugnantes? Quid tu frontis habes, Bellarmine, quem non putat ineptias istas in theatrum orbis & rerum omnium lucé proferre? Concionare ista stipitibus & saxis, aut cum *Francisco* tuo feris & volucribus: hominem vix crediderim quenquam, nisi fortè insanit, fidem istis somniis habiturum.

2. Huc tu tamen adducis testimonia scripturarum, vt obtrudas autoritate quod vides cum ratione constare non posse. *Antichristi regnum*, inquis, *trium annorum cum dimidio futurum colligitur ex Dan. 7 & 12.* Colligitur, inquis, non legitur, & collectio tua meritò nobis suspiciosa est. De Antichristo vis dictum esse cap. 7. *Tradentur in manum eius vsq; ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Simile quiddam legitur quoque cap. 12. Tu vtrobique *tempus* exponis annum, *tempora* duos annos, & *dimidium temporis* dimidium anni. Quod de Antiocho quidem haud incommodè faceres: at perperam tu quia in Antiocho typus quidam Antichristi præcessit, vt quomodo Antiochum legimus insanientem in templo Iudæorum, in quo Ecclesiæ figuram accipimus, perinde in Ec-
clesia

clesia facturum Antichristum intelligamus, ideò quæcunque de Antiocho scripta sunt, mox ad Antichristum per vim rapis, & sine delectu omnia imperitè confundis. Certè quæ tempora ibi notantur, couenire cum Antichristi negotio non possunt, nec fieri potest vt triennali spacio hic per vniuersum orbem efficiat quod Antiocho in vna Iudæorum gente facillimum fuit. Quanquam dum illas temporum assignationes cogis instituto tuo inuitas seruire, in easte coniiicis angustias, quibus extricare te aut euoluere nunquam potes. Nam de quo legimus cap. 7. ^h tradentur in manum ^h Dan. 7. eius vsque ad tempus, & tempora & dimidium ^{25.} temporis, de eodem habemus quoque cap. 8. ⁱ Dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti, Vs- ⁱ Cap. 8. 9. quequò visio & iuge sacrificium, &c. & sanctua- ^{13.} rium & fortitudo conculcabitur. Et dixit ei, Vsque ad vesperam & mane; dies bis mille trecentos, &c. Quem locum testatur Hieronymus & plerosque veterum scriptorum ad Antichristum accommodasse. Itaque pro triennio tuo ^k Hieron. in Dan. cap. 8. habemus hîc supra sexennium regni Antichristi: hoc enim efficiunt dies bis mille trecenti. Porro cap. 12. de quo priori loco dicit, ^l Vsque- ^l Dan. 12. 7. quo visio horum mirabilium? In tempus, & tempora, & dimidium temporis de eodem mox subiungit, ^m A tempore cùm ablatum fuerit iuge sa- ^m Vers. 11. crificium & posita fuerit abhominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Et hosⁿ dies ⁿ Cap. 9. mille ducentos & nonaginta tu per imprudentiam agnoscis regnum Antichristi duraturum. At inepte, non vides dies mille ducentos &

nonaginta, tua illius supputatione, tres annos & septem menses complere? Tibi namque dies mille ducenti sexaginta tres anni & sex menses numerantur, quos Antichristum ais regnaturum: quibus ubi addis triginta, ut numerum nonagesimum producas, pro sex mensibus septem ponis, & mensem unum apponis regno Antichristi. Et tamen quasi cum insulsis & stupidis hominibus rem haberes, quibus neque ingenium neque animus esset ad fraudes tuas diiudicandas. subiungis hinc: *Neque obstat quod Dan. 12. dicitur Antichristus regnaturus mille ducentis nonaginta diebus hoc est diebus triginta amplius quam dixerit Ioannes. Nam Ioannes loquitur de Enoch & Elia qui ab Antichristo occidentur uno mense ant. quam Antichristus pereat.* Os impudens, an tu nobis tanquam certissimum opponis, & in fide Christiana exploratissimum, regnum Antichristi non nisi tres annos & sex menses, siue dies mille ducentos & sexaginta duraturum, & inde quadraginta quinque dies dinumeras, quorum exitus Christi nobis aduentum apportet, & nihil obstare ais quod apud Daniele numerantur, ut tu exponis, dies mille ducenti & nonaginta quibus supra tres annos, non tantum sex ut tu vis, sed septem menses conficiuntur? Attende verò quam belle tibi constes, dum prudens ac sciens mendacium propugnas. *Antichristus, inquis, non regnabit nisi tres annos cum medio.* Et paulò post: *Ioannes cap. 12. dicit Enoch & Elia predicaturos diebus mille ducentis & sexaginta qui idem tempus efficiunt.* Et mox: *Ioannes loquitur de*

*tur de Enoch & Elia qui ab Antichristo occiden-
tur uno mense antequam Antichristus pereat.*
Enarra nobis, Bellarmine, quid tu ista putes
conciliari posse? Si verum sit quod primò ais:
*Antichristus non regnabit nisi tres annos cum
medio*, & quod secundò ais, *Enoch & Eliam
prædicaturos diebus mille ducentis & sexaginta*,
hoc est, totidem annos cum medio, hoc est, to-
tum tempus Antichristi; quomodo verum erit
quod tertio ais, *Enoch & Eliam occidendos ab
Antichristo uno mense antequam Antichristus
pereat*? Aut si verum sit quod postremò dicis,
*Enoch & Eliam occidendos ab Antichristo uno
mense antequam pereat Antichristus*, qui tamen
sub Antichristo *dies mille ducentos & sexagin-
ta*, hoc est, tres annos cum medio prædicaturi
sunt; falsum esse necesse est quod primò sta-
tuis, *Antichristum non nisi tres annos cum me-
dio regnaturum*, & planum facis locum illum
Apocalypticum perperam à te adductum esse
ad tres annos & semissem Antichristo asseren-
dos. Hactenus ergò extorquemus tibi omnia
neque quicquam tibi integrum manet ex quo
defensionem causæ tuæ meditaris. Locus
Apocalypticus designat quidem quanto tem-
pore prædicaturi sunt Enoch & Elias, non
quanto regnabit Antichristus, quem tu agno-
scis post tres annos & dimidium supersti-
tem illis futurum, ac proinde supra tres an-
nos & dimidium saltem vno mense regna-
turum. Quod etsi haud magnum temporis
discrimen efficere videatur, eo tamen nomi-
ne maximi momenti existimari debet, quia co-
git te

git te locorum illorum quos porrò citas aliam sententiam requirere, ex quibus nunc subductis tam præcisè calculis, de iusto Antichristi triennio & semisse fabularis. Nam si Enocho & Eliæ simul cum Antichristo venturis mille ducenti sexaginta dies, qui tres annos & dimidium complent, annumerentur; certè neque Apoc. 12. *tempus, tempora, & dimidium temporis*, neque Apoc. 11. & 13. quadraginta duo menses, quibus tres illos annos cum dimidio constitui fateris, iustam nobis designare poterunt durationem Antichristi, quem per te constat, vt dictum est, Enocho & Eliæ post tres annos & dimidium vno mense superuicturum. Itaque periisti iam, Bellarmine, tu cum tuis vniuersis, & ineuitabili argumento diluitur quicquid siue ex scripturis, siue ex veterum scriptis, tam operosè corradis, ad durationem regni Antichristi tantum per tres annos & dimidium constituendam.

3 Postquam verò commentarium tuum explodimus, expectas forsitan, vt nostram de locis illis sententiam proferamus. Qua de re etsi nolim quicquam pro certo definire, proponam tamen quod mihi proximè videtur ad veritatem accedere; iudicium penes Ecclesiam & pios esto. Quanquam quod ad loca Danielis attinet, planè nihil dubito quin verissima sint quæ doctissimi viri *Immanuel Tremellius* & *Franciscus Iunius* de iisdem annotarunt: ita cum veteri Iudæorum historia concordant, vt nihil suprà dici possit. De locis Apocalypticis aliquantò maior est scrupulus, quem tamen eximere

mere animo tuo conabor, absque aliquo præiudicio eorum qui sanius fortasse aliquid & solidius afferre poterunt. Neq; tamen quicquam hîc fortasse nouum apporto: sed dum ea quæ ab aliis dicta sunt liberè expendo, videre mihi videor aliquid quod animum meum vehementes ad se rapit. Ac illud primò videor in Scripturis perpetuum obseruare, domesticarum Ecclesiæ calamitatum, quas fideles quasi ciuili bello patiuntur ab illis quos habent communionem Sacramentorum sibi coniunctos certas periodos à Prophetis prædici nunquam solere: ibi tantùm mensuras temporum & malorum certos exitus indicari, vbi cum extraneis & hostibus res est; quibus promiscuè omnes exosi sunt qui ritu externo numerantur in populo Dei, & communem Ecclesiæ vocationem acceperunt. Itaq; quæ ab Ægyptiis, à Baby-

o Gen. 15.
13.
p Jer. 25. 11.
q Dan. 7.
25. & 8. 14.

loniis, ab Antiocho veteri Ecclesiæ aduersa obuentura essent, ea legimus per prophetiam certo annorum numero comprehensa: quæ verò ab impiis & idololatriis regibus suis calamitosa sentiret, siue à Manasse & similibus apud Iudæos, siue in illa per trecentos & nonaginta annos Israelis apostasia, ea nunquam inuenimus antecedentibus prophetarum vaticiniis ad certos temporum articulos reuocata. Et ego certè quum in Apocalypsin attentius intueor, paritèr existimo numerationes illas temporum non ad ciuiles & domesticas Ecclesiæ perturbationes, sed ad hostiles extraneorum impetus, quibus nomen ipsum Christianum inuisum habetur, esse referendas. Quando er-

do ergo constat, quod iam antè disputauimus, Antichristum Ecclesiæ cathedram occupaturum, nec externū hostem sed domesticū futurum, sub nomine Christiano Christi fidem exterminantem; non arbitror calamitates & clades quibus Ecclesiam affecturus est, Apocalypticas illas annorum & mensium computationes subire oportere. Itaq; quæ sunt à te citata, Bellarmine, ex *Apocal. 11. & 12. & 13.* omnia existimo ad statum Ecclesiæ primitiuae, & horribiles illorum temporum maectationes & lanienas pertinere. Ac nequid hac in re temerè & absque ratione dixisse videar, eò me adducit historiæ series quæ cap. 13. descripta est. Nam quum supputationes illæ omnes idem spatium temporis iustissimè conficiant; quin omnes rem vnā & eandem spectent dubitari non potest. Quare si alicubi constabit, præscriptam temporis mensuram necessariò ad primas illas persecutiones accommodari; haud dubium erit, opinor, quin reliquis quoque locis eandem intelligentiam & applicationem habere debeat. Atqui verò quod Apoc.

13. legimus, " data est ei potestas agendi quadraginta duos menses, nemini obscurum esse potest qui ad rem vel mediocritèr attentus est, quin de primis sub imperio Romano Ecclesiæ temporibus intelligendum sit.

*[Vers. 1.
& Vers. 12.]*

4 Itaque animaduertendum est duas ibi *bestias* designari, alteram *de mari*, hoc est, de bellicorum tumultum fluctibus: alteram *de terra*, hoc est, de otio & quiete nonnisi astutia & calliditate prodeuntem. Quas ita legimus ibi
compa-

comparatas, vt prioris fractæ iam & collapsæ, posterior imaginem instauratura sit. Cæterum qui duas illas in vnam confundere tentauerit, imperitè fecerit, nec videri poterit satis attentè considerare rem vnam seipsa priorem simul & posteriorem, sibi que originem simul & imaginem esse non posse. Iam verò certum est, prout antè ostendimus, priori bestia Romanum imperatorem Eθνicum & infidelem, posteriori Antichristum demonstrari: qui quanquam imperium illud antiquum non obtineret, sibi tamen imaginem quandam illius imperii fabricaturus esset. Quum verò de priori bestia dictum sit, *potestas ei data est agendi menses quadraginta duos* manifestum est numerum illum temporis ad imperatorem Romanum pertinere. Antichristi verò tempus & durationem indicare non posse. Quare de reliquis quoque locis pari ratione iudicandum est; nec aliud quicquam contextus insinuat, si diligentè illum expendere velimus. Certè quod cap. ii. habetur: "*sanctam ciuitatem*" u Apoc. 11. 2
gentes calcabunt mensibus quadraginta duobus: miror si te intestina Ecclesiæ plaga, qualis ab Antichristo futura est, commodam intelligentiam habere possit: miror si aliò torqueri possit quàm ad persecutiones illas quæ verè à *gentibus*, veteris imperii edicto & authoritate aduersùs Ecclesiam suscite commemorantur. Nec in eo quicquam impedimenti est, quòd post *x sextæ tubæ* sonitum historia illa describitur, quum manifestum sit ex fine capitis decimi, noyam ibi & distinctam
 pro-

prophetiam inchoari, quæ ad sextæ tubæ feriẽ & ordinem attexi non debet. Id verò clarius adhuc est in iis quæ capite duodecimo tradita sunt, vbi primos parturientis Ecclesiæ labores apertè describit, quibus conflictata est olim, dum id obnixè ageret vt Christus de virgine natus apud Iudæos, Euangelii promulgatione toti orbi nasceretur. Et ille quidem postquam Satanæ potentiam in sublimi fregisset, & omnem ei locum in cœlo sustulisset, sic illum excandefecit, & in vltimum insanix furorem adegit, vt pro tempore diuinitus illi concesso nullos omninò impetus, nullam immanitatem prætermitteret, qua se proficere posse putaret ad Christi nomen iam cæptum in pretio haberi de terris abolendum. Quamobrem Ecclesia temporibus illis miserrimè iactata, nullo mundi splendore conspicua, nullis externarum rerum præfidiis adiuta, tanquam in eremo versari visa est, vbi sunt omnia deserta, inculta, horrida, vt nihil dicam coactam illam tyrannorum importuna crudelitate discedere quodammodo de conspectu hominum, & angulos ac deserta loca sectari, & metu exploratorum, in cryptis & cauernis nocturnos conuentus exercere. Iam verò ne desperatione langueret tandem & concideret, voluit illam Christus de istarum calamitatum fine aliquo, quanquam obscuriùs, præmoneri. Quod si quærat quomodo tempora à Ioanne notata cum veteris Ecclesiæ historia conciliari possint, ego libentè illis assentior, qui definito mensium & annorum numero, certum quidem tempus à Deo præ-

præstitutum arbitrantur, non ipsis numero-
rum apicibus expressum, ut à priori dijudicari
ab Ecclesia potuerit, sed diuino tantum consi-
lio & prouidentia numeratum & circumscri-
ptum, à nobis autem non nisi ex euentu & à po-
steriori cognoscendum. Illud autem voluit
Deus stata mensium & dierum comprehen-
sione notari, & diuersas adhiberi supputatio-
nes omnes ad idem recurrentes, partim ut a-
gnoscerent fideles momenta ipsa & articulos
temporum illorum, menses, & dies, & semisses
dierum, Deo exploratissimos constituisse; par-
tim ut in ærumnis illis & miseriis se confirma-
rent, tanquam non nisi mensium & dierum in-
tuitu, habentes semper in memoria illud Apo-
stoli, *Momentanea & leuis afflictio nostra ex-
cellenter excellentis gloriae pondus operatur in no-
bis.* Inquisitionem verò omnem in illud arca-
num diuinum, compescere debuit semper
Christi sententia; *Non est vestrum scire tempo-
ra & opportunitates quas Pater posuit in sua po-
testate:* tantum illud tenendum fuit, finem ma-
lorum fuisse decretum, & tempus à Deo con-
stitutum præteriri non potuisse, & eum qui o-
lim post quadringentos annos Israelitas ex Æ-
gypto tandem eduxit, Ecclesiam quoque, vbi
commodum foret, (esto fortasse post aliquot
annorum centurias) liberaturum, postquam ut
illos Ægyptiis ignibus, ita hanc quoque nascentem
adhuc ab ipsis quasi incunabulis sanguine
dedicasset. Itaque tempus Deo certum, Ec-
clesia tamen incertum remansit, ut ad pa-
tientiam se fideles obfirmarent, & pro exitu

malorum suorum à diuino nutu submissè penderent.

*a Foxi mar
tyrol. lib. 1.
sub finem.*

5 Quanquam prætereundum non puto quod celeberrimæ memoriæ *Ioannes Foxus* noster de hoc Apocalyptico mysterio scriptum reliquit. Neque enim temere repudiandum censuerim, quod vir grauissimus & piissimus sibi cælesti quodam afflatu inditum sanctissimè profiteretur. ^a Cui dum primarum persecutionum historiam describeret, & lamentabili Ecclesiæ calamitate recolenda perinde animo cōmotus esset, ac si ipse in parte aliqua laboris & periculi fuisset, subiit animum cogitare quo consilio Deus Ecclesiam sibi tam dilectam, tyrannorum arbitrio committeret: cur eam sinneret, quasi luporum & leonum dentibus, tam miserè lacerari & discerpi, & indignissimis iniuriarum omnium & cruciatuum violentiis expositam iacere: Maximè verò mirari, quòd tam diuturna mala illa esse pateretur, nec tamen quicquam præmoneret quamdiu miserabilis iste rerum status permaneret. De Ægyptiaca & Babylonica captiuitate certum aliquid fuisse prædictum: mirum sibi videri de istarum rerum exitu nihil proditum fuisse. Qua cogitatione dum anxius & perplexus animo hæsit, librum Apocalypseos sibi hac de re consulendum putauit. Ibi bestiam non dubitauit Romanum imperium designare, cui aduersus sanctos maxima potestas concedenda esset: quæ verò tempora ibi notata sunt, *quadraginta duos menses; dies mille ducentos sexaginta; tempus, tempora & dimidium temporis,* quum

quum nonnisi tres annos cum dimidio complerent, annis illis ferè trecentis quibus Ecclesia prostrata jacuit, aptari non posse iudicavit. Hoc ille dum identidem versat animo, & subinde cogitando vehementer exæstuat, ita factum est vt die quodam dominico expergefatus manè, & de numeris illis cogitabundus, subito sibi tanquam intra se cum maiestate quadam responsum sentiret, *Quin, inepte, menses istos per sabbata numerato, prout hebdomada Danielis per sabbata computantur. Testem, inquit, Deum appello, verè ita contigisse.* Iam verò mensium ratione hunc in modum subducta, vt mensis quisq; sabbatum annorum, hoc est, septem annos complectatur, conficiuntur anni ducenti nonaginta quatuor. Totidem verò numerantur anni à morte Ioannis Baptistæ ab Herode Romano præside occisi, ad pacem Ecclesiis datam à Constantino. Licinius enim persecutorum vltimus, anno Domini trecentesimo vicesimo quarto occubuisse memoratur. Quòd si trecentis viginti quatuor demas triginta, quot annos Christus natus inuenitur cum à Ioanne baptizatus est, quo iam baptizato Ioannes mox in carcerem ab Herode contrusus, nec ita multò post occisus est, supersunt anni 294. quibus imperii Romani gladio in Ecclesiam sæuitum est. Porro ad quadraginta duos menses reliqua omnia reducuntur. Nam si *tempus, tempora, & dimidium temporis*, annum, biennium & sesquiannum, hoc est, tres annos & dimidium interpretemur, manifestum est tribus annis & dimidio quadragin-

ta duos menses cōtineri. Quinetiam dies 1260. eosdem quadraginta dies menses iustissime complent. Vbi verò leguntur *tres dies & dimidium* (diem autem ad Christi rationem intelligimus, ^b *Nonne sunt duodecim hora diei?*) si singulas dierum istorum horas pro singulis mensibus accipiamus, efficiuntur menses 42. si pro annorū sabbatis, prior numerus exurgit annorum sabbatis, prior numerus exurgit annorum ducentorum nonaginta quatuor, quibus corpora sanctorum in plateis imperii Romani occisa narrantur & insepulta iacuisse.

6 Hic ego dicti rationem ignoro, cuius quidem peruestigatio, fateor, animum meum vehementer exercuit; neque tamen cogitando consequi valeo, quo exemplo aut argumento mensem pro annorum hebdomada, hoc est, pro septem annis interpretari possim. Sed qui tamen ausim respuere quod diuino quodam instinctu perceptum & proditum fuisse videtur, & ipsam rei veritatem, siquidem euentum spectemus, tanquam acu attingit? Et qui sciam, quum *mensis* apud Hebræos propter nouilunium ab innouatione omen habeat, septenarius autem dierum & annorum numerus apud eosdem rebus innouandis institutus sit; an hac ratione voluerit Christus *mensis* vocabulum ad annorum hebdomadam denotandam transferre? ^c Septimo die negotia omnia Hebræorum propria & politica terminantur. ^d Septimus annus manumittendis seruis deputatur, & ^e debitorum vinculis relaxandis, vt in pristinum omnes statum denuò

^c *Exod. 20.*

20.

^d *Exod. 21. 2*

^e *Deut. 15.*

2. 2.

denuò recurrant. Septimus annus *f*agricultu- fLeu. 25. 4.
 ram intermisit, vt terra in hoc quasi interlunio
 recollectis viribus tributo suo soluendo fæ-
 cundius instaret. Septies septimus annus *g* gLeu. 25.
leum apportauit libertati restituendæ, redinte- 8. 9.
 grandis hæreditatibus, & nouo quasi seculo re- Orig. in
 ducendo seruientem. Quare cum menstruum Gene. hom.
 lunæ decursum sabbatorum istorum ratio pro- 2.
 pè referre videatur, videndum annon po-
 tuerit ad sabbatum annorum mensis vocabu-
 lum haud incommodè traduci. Hic ego nihil
 affirmarim, quanquam affirmare melius ausim
 quàm multa quæ à Bellarmino tradita sunt :
 tantùm non putauit negligendum, quod vir il-
 le planè diuinus cælesti se oraculo admonitum
 didicisse commemorat. Quod si cui non satis-
 facit, accipiat quod antè diximus mensibus &
 diebus Apocalypticis certum tempus insinua-
 ri, non exprimi : Ecclesiam ibi admonitam,
 quod ad spem & patientiam satis esset, statos
 Deo fuisse persecutionum illarum dies & ho-
 ras, & certo numero comprehensos; non edo-
 ctam ex illis articulis de certo numero pro-
 nunciare, aut diem dicere quo exitum sibi ca-
 lamitatum suarum adpromitteret. Et hoc illi
 quoque responsum ferant quibus persuaderi
 non potest locos illos Apocalypticos aliò quàm
 ad Antichristi tempora referri debere. Nam
 somnium illud de tribus annis & dimidio ab-
 undè iam explosum est; quod dum astruit Bel-
 larminus, ridicula leuitate nec ipse secum con-
 sentit, & scripturas sententiæ suæ aduersas facit.
 Quare prætermisissis patrum testimoniis, qui

asserunt propter loca citata, vt ille ait, *solum tres annos cum medio Antichristum regnaturum*, quod temerè illis & per inconsiderantiam excidisse nemo non annuerit qui superiora diligentèr expenderit, sequitur nunc vt rationes illas examinemus, quas porrò adiungit ad causam fractam quoquo modo subleuandam.

7 *Secundò, inquit, idem probatur ex eo quod scripturae dicunt, tempus diaboli soluti & Antichristi fore breuissimum.* Tu verò Bellarmine, malè confundis duo illa, tempus diaboli soluti, & tempus Antichristi. Nam quæ de diaboli ligatione & solutione leguntur, Apoc. 20. extra causam Antichristi sunt, & ad Barbarorum atque Ethnicorum furores in Ecclesiam & aduersus nomen ipsum Christianum insanientium maximè spectant. Neque enim expositionem illam probare possumus, qua *Satane ligatio* à Ioanne commemorata à tempore Christi mortui fuisse defenditur. Etsi enim illum non dubitamus, quod ad electos attinet, per Christi mortem spiritualitèr ligatum, vt ad animarum perniciem nihil possit, Christo confirmante, ^b *portas inferorum aduersus Ecclesiam non preualituras*; non tamen illum mors Christi statim compescuit, quominus in corpora sanctorum inuaderet, & externam Ecclesiæ faciem sanguine fœdaret. Itaq; simulatq; Euangelium publicari cæptum est, grassatur mox immani furore, & Ethnicorum acies educit, profligaturus per eas ex orbe nomen Christianum, nec per trecentos ferè annos vllum insaniendi finem facit. Tandem verò restinxit Dominus

minus incendium persecutionis, & effrænem Satanæ furorem compressit, & Christi nomen hæctenus orbi despectum & invisum, in sublimem attulit, & Ecclesiam in tenebris & eremotam diu abditam, in aperta luce florentissimam constituit.

8 Et hæc illa est Satanæ ligatio quam Ioannes futuram prædicit. Num enim tibi, Bellarmine, ligatus videtur Diabolus, cum Ecclesiam vtrisque manibus & totis vnguibus concerpfit, & lupinis dentibus ouiculas Christi suo propè libitu iugulauit? Quid enim? Ligatio Satanæ, quæ potestatem eius impeditam & retentam significat, ab animabus sanctorum an à corporibus illam depulisse censenda est? Certè in animas sanctorum ne sub Antichristo quidem quicquam facturus est, quas semper incolumes scimus Christo custode seruari. Ergo ligatus intelligitur ne in corpora sæuiat, ne externa persecutione Ecclesiam infestet. Non erat ergò ligatus quamdiu penes illum erat Ecclesia, fatigata scilicet assiduis cædibus, & calcata iacens pedibus illius. Tunc ligatus existimandus est, cum incolume esse cæpit nomini Christiano, & exutum est Ecclesiæ iugum quod hæctenus subierat durissimæ seruitutis. Id verò Constantino imperatore contigisse, nemo ignorat. Ex quo tempore ad mille circiter annos parum est, quod in Ecclesiam ab externis hostibus factum narratur: siquæ enim erant turbæ ciuiles & domesticæ, in hanc rationem venire non debent. Neque verò huc annumerantur, si qua, vbi de imperio decertatum est,

luctuosa Ecclesiis, vt in bellicis tumultibus fieri solet, & calamitosa contigerunt. Et certè maxima calamitas ab illis Barbarorum incursionibus, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, &c. importata est, quos tamen constat interdum Romani nominis hostes magis fuisse quàm Christiani : interdum Arianismi peste correptos hæresi tantùm, non Ethnicismo studuisse. Quæ verò aduersus ipsum Christi nomen, siue ab illis siue ab aliis tentata sunt, ea certum est vel quorundam locorum omninò fuisse propria, vel certè nunquam diuturna. Neque verò credimus simpliciter illum ligatum esse debuisse, vt nihil vsquam aut vnquam per mille annos in Ecclesiam facturus esset. Nam Satanam spatia sua illis temporibus, tumultuantibus subinde Saracenis, habuisse nō dubitamus, sed ligatum intelligimus prout alibi docemur

i Apoc. 9. 14 ^{ad flumen Euphratis}, vt illis finibus inclusus, & ibi constituendis rebus suis occupatus non ultra sæuiret, quousque tempus à Deo decretum impleretur. Quæ verò aliàs in Ecclesiam à Paganis & ethnicis designata sunt, diuturna certè non erant, veluti repentino impetu proficiente Satana, vt perruptis vinculis in pristinam sæuendi licentiam posset excurrere. Sed illum diuina manus subinde retraxit, neque passus est catenas excutere, quibus ligatum & compeditum ad tempus vsque constitutum teneri oportuit. Quo expleto mille annorum spacio denuò solutus est, & se ad extirpationem accinxit nominis Christiani. Ex illo enim tempore ferreum illud regnum Turcarum constitutum

tutum est, ad ingentem magnitudinem, summo Ecclesiæ detrimento, mirabiliter increuit.

9 In illis autem completum est Ioannis vaticinium de Gog & Magog, quos ad finem mille annorum de diabolo seducendos ait, ut iunctis viribus castra sanctorum & dilectam ciuitatem vnanimiter oppugnent. Quod tamen ^{kCap. 17.} Bellarminus aliò detorquet, & prophetiam illam totam de Antichristi nescio quo exercitu exponendam esse contendit. Quia verò videt milles annos quibus Satanam ligari oportet, proposito suo aptari non posse (neque enim vel fingere potest vnde numerus ille annorum incipiendus sit, ut Antichristo suo venturo commodè quadret (idcirco mille annorum nomine intelligi ait indefinitè, *totum tempus quod est ab aduentu Christi vsque ad Antichristum.* Id verò quàm ineptè dicatur, iam ostensum est, nec vlllo modo Satanam ligatum intelligi potuisse, quamdiu laxatis illi diuinitus habenis, omnem illam per trecentos propemodum annos immanitatem in sanctos exercere datum est. Quare ab illo tempore numeratio mille annorum inchoanda est, quo finis turbis illis & persecutionibus imponi cæpit. Quam si continuatam deduxeris ad constitutum ab Ottomanno imperium Turcarum, & egressum illius ad Christianas prouincias regno suo subiugandas, circiter mille annos completos repereris, & prophetiam intellexeris huic instituto optimè conuenientem.

10 Nomina quoque conueniunt. Vbi Bel-

larmino haud difficultè annuerim *Gog* intelligi caput gentis illius quæ appellatur *Magog*. Quanquam non defunt qui *Gog* *Asiam minorem* intelligunt obambulata[m] olim ab Apostolis, & multarum Ecclesiarum splendore clarissimam, nunc ab impura Turcarum gente penitus occupatam. Neque hoc alienum fuerit à nostro proposito, cum indè constet Saracenos initium habuisse, ex Arabia nimirum oriundos, qui in vnam postea gentem cum Turcis coaluerant, & simul cum illis grauissimam Christianis partibus calamitatem intulerunt.

1 Ioseph.
Antiq. Iud.
lib. 1. cap. 7.
& Hieron.
in tract.

Hebra. sup.
Genes.
in Gen. 10.
2.

in Plin. hist.
nat. lib. 5.
cap. 13.

o Theodor.
in Ez. ech.
38. sect. 15.

Magog autem Scytharum appellatio est, à *Magog* filio Iapheti, à quo gentis illius origo fuisse creditur. Inde videtur Hierapolis è Cœlosyria, condita à Scythis, ab illo Scytharum parente *Magog*, teste Plinio, nuncupata. Theodoretus vtrunque nomen ad idem existimat pertinere, & *Gog* ac *Magog* Scythicas gentes interpretatur. Turcas autem constat è Scythis extitisse. Quare Bellarminus non negans *Magog* Scythicæ gentis appellationem esse, probabile esse ait exercitum Antichristi vocari *Magog* quòd magna eius pars constabit ex barbaris à Scythia oriundis, ut Turcis, Tartaris & cæteris. Vbi, ut omittam quod de exercitu Antichristi fabulatur, illud arripimus, vocabulum *Magog* ad Turcarum gentem è Scythis ortam verissimè referri. Et est quidem dictu miserabile, quantas Turcæ isti cum Saracenis commixti Ecclesiarum strages ediderunt; quàm maximo rei Christianæ dispendio pœneria sua dilatarunt, & regnum illud execrabile

bile per Asiam minorem ferè totam, magnam quoque Europæ & Africæ partem constituerunt. Quare quum in illis videmus tempus & materiam prophetiæ verissimè completam esse; parum sobrii fuerimus, si quem alium harum rerum euentum expectare voluerimus. Quò illud quoque accedit, nemini sat sano probabile videri posse, tantum regnum, Christo tam inimicum & aduersum, Ecclesiæ tam noxium, silentio prorsus in scripturis præteriri potuisse. Atqui verò præter hanc prophetiam de Gog & Magog non est vsquam altera, quæ Turcicos in Ecclesiam motus, & agrorum Christianorum depopulationes aperte describit. Memoratur quidem solutio angelorum vincitorum ad flumen Euphratis, & præparatio viæ ad regnū Orientis, sed nominatim in Ecclesiam & *dilectam civitatem* aliquid tentaturos nusquam exprimitur. Itaque tempus diaboli soluti & prælii Gog & Magog cum certissimam de firmato Turcarum regno expositionem habeat, nullo modo confundi debet cum tempore Antichristi.

II Ego certè meliùs statuendum iudicari quod res est, tempus ligati diaboli tempus fuisse nascentis & crescentis Antichristi. Postquam enim ab externis hostibus pax & quies Ecclesiæ concessa est, & luxuriari illa tandem atque insolescere otio & prosperitate cœpisset; morbosa paulatim facta est, & fide simul ac moribus magis magisque à pristina sanctitate degeneravit. Quemadmodum enim corpus humanum dum otio seruit & ventri,
& o-

& omnia sibi ad voluptatem indulget, tabem intus concipit, & pestem quæ certissimam tandem calamitatem & perniciem affert: ita Ecclesia dulcedine prosperitatis illecta & effascinata postquam seculo incubuit, & oblita se cœlonatam rerum terrenarum studiis immerfa relanguit, rubiginem contraxit & labem, & quæ nocte persecutionis virtutum stellis clarissima refulsit secundarum rerum sole calescens, nescio quo modo, computruit; & quantum opibus crevit, tantum zelo pietatis & charitate refriguit, ut subsidia religionis conuertit in occasionem licentiæ & vanitatis. Memorabile est quod legimus siue vera historia narratum, siue ab euentu confictum, quo tempore primùm Ecclesia dotata prædiis est & opibus ditata, vocem de cœlo auditam esse, *Hodie venenum infunditur in Ecclesiam*. Id quod usu comprobatum vehementer Bernardus conquestus est, & longa oratione describit interdum quod Gregorius alicubi breuissimè complectitur; *Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem*. *Serpit hodiè, inquit, putida tabes per totum corpus Ecclesie, & quò latius, eò desperatiùs, eoque periculosius, quò interiùs. Omnes amici & omnes inimici; omnes necessarii & omnes aduersarii; omnes domestici & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frenis, in sellis & calcaribus, & plus cal-*

p Gregor.
Mag.
q Bernard.
in Cant.
ser. 33.

caria quàm altaria fulgent, &c. Pro huiusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum prepositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi quod perambulatur in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit; Ecce in pace amaritudo mea amarissima, &c. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesie, & ideo in pace amaritudo eius amarissima, &c. superest ut iam de medio fiat demonium meridianum ad seducendos siqui adhuc in Christo residui sunt permanentes in simplicitate sua, &c. Ipse est Antichristus qui se non solum diem, sed & meridiem mentietur. Non videt ille Antichristum, caligine quadam impeditus, & Antichristi rationem non ad scripturas, sed ad receptas superiorum temporum fabulas appendens: sed vidit tamen Ecclesiam Antichristo suscipiendo & sustentando convenientissimè comparatam.

12 Atqui verò conscenderat iam cathedram Antichristus, & tanquam vlcus grauissimum ex redundantia luxuriantis corporis erumpens, saniosa quadam lue perfundens Ecclesiam, nauseam spectanti Christo commouerat, & bilem accenderat tantam Ecclesie deformationem intuenti. Enimverò Romanus episcopus postquam ad tempus in otio confidisset, ex conscientia fortasse Romani nominis ingentes spiritus paulatim assumens, grande aliquid parturit animo, & principatum sibi quendam in Ecclesiam, primæ sedis prærogatiua fretus, constituere mediatur. Ad hoc ergo prætextus omnes & omnes temporum com-
modi-

moditates auidè arripiens, dum ambitioni suæ & infinitæ dominandi libidini satisfacit, id tandem per vim & dolum affecutus est vt à se vno omnia penderent, nec Ecclesiarum tantummodo pastores, sed etiam imperatores & principes sibi haberet obsequentes. Postquam verò immensam hanc potestatem obtinuisset, & omnia iam pro suo vnius arbitrio tractaret; dici non potest quantum Ecclesiæ malum inuenit, & tanquam vredine quadam miserè decorticatam, & præfidiis omnibus pietatis & vitæ spiritualis orbatam, ignitis Satanæ iaculis, & tempestatum omniū iniuriis nudam exposuerit. Ministerium Ecclesiæ, quo falus eius maximè continetur, prorsus euertit; ignorantia tenebris orbem terrarum inuoluit; traditionum suarum iugum subire compellit; superstitionum laqueis innectit; veterem Ecclesiæ ritum expugnat, idololatriæ plusquam Ethnicæ consuetudinem inducit; omnes & omnia cogit auaritiæ suæ seruire; & qui vel hincit in aduersum, hunc diris & anathemate deuinctum videri vult ad inferna deturbare. Hic ille est, *Bellarmino*, quem quærimus, Antichristus, qui à ligatione diaboli exterorum hostium immunis opportunitatem captauit, vt ad illam qua esse debuit magnitudinem perueniret. Quare quæ tam diuisam habent sententiam malè tu in vnum coniungis, & ineptè facis qui idem esse ais tempus diaboli soluti, & tempus aduentus Antichristi.

13 Iam vt tempus Antichristi breuissimum fore confirmes, locum adducis ex Apocal. 12.

Veter-

*Va terra & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Quem locum supra ostendimus cum Antichristo nihil habere coniunctum, & ad tempora primarum persecutionum esse referendum. Neque obstat quòd per trecentos annos persecutiones illæ durarunt, qui *modici temporis appellationem* excedere videri possunt, quum non sint hîc temporum spatia humano sensu metienda; sed ex illius voluntate nuncupanda, cui *unus dies perinde est ut mille anni, & mille anni ut unus dies.* Quid? cui *hora* est totum tempus quod inter primum & secundum Christi aduentum intercedit: qui de cælo denuntiat ante mille quingentos annos, *Ecce venio citò, & indicasse se ait servis suis quæ oporteat fieri citò*, qui nec dum tamen aduenit, nec quæ prædixit, adhuc omnia compleuit, an aliud illi quàm *modicum* siue exiguum tempus est, quod paucis annorum centuriis terminatur? Quare ut ad Antichristum accommodes, nihil erit incommodi, neq; quicquam impedit quominus potuerit totum illius regnum *modici temporis* periodo definiri. Porro de mille ducentis & sexaginta diebus sententiam nostram exposuimus supra, neq; quicquam hîc amplius addi opus est.*

12. Pet. 3. 8.

11. Ioan. 2.

18.

12. Apo. 22. 12

11. Cap. 1. 5.

1.

14 Secundus autem locus ex Apoc. 20. *Ligavit eum per mille annos, & posthac oportet eum solui modico tempore*, quod ad modici temporis circumscriptionem attinet, eandem omninò responsionem habet. Solutionem Satanæ in regno Turcarum docuimus esse comple-

tam.

tam. Eum soluendum docet *modico tempore*, ut brutæ gentis rabido furori modum à Deo cõstitutum iri sciamus. Quod iam aliquatenus factum speramus, quia illam videmus fræno diuinæ potentia retentam, ne in agros Christianos vlteriùs inuadat. Quæ si posterioribus hisce annis pari quo antè successu pugnasset, parum admodum Christiano nomini iam pridem reliquum fecisset. Cæterùm qui ab anno millesimo, trecentesimo aut non multò pòst Satanæ solutionem interpretamur, prope trecentos iam annos ab illa solutione numeramus, quod tempus regni Turcarum fuisse dicimus. Nam quod Bellarminus in aduersum opponit, *regnum Saracenorum durasse hætenus annos ferè mille, quod modicum tempus dici nequaquam posse* ait: in eo ineptit & ludit. Etsi namque regnum Saracenorum per mille annos durasse fateamur, non tamen sequitur à mille annis Satanam in illis solutum extitisse. Erat enim tempus, ut antè diximus, quo in illo qualicumque regno ^x *ligati ad flumen Euphratis* permanere debebant, *parati ibi ad horam, ad diem, ad mensem, ad annum*, quando cunque Domino visum foret, *ad tertiam partem hominum occidendam*. Reges esse debebant *Orientis*, sed nondum per illos solutus est Satanus, donec ^y *are facto Euphrate via regum Orientis preparata esset*, ut effusæ in prouincias Christianas copiæ illorum diras illas clades & miserabilem vastitatem importarent. Antea verò vix certam regni speciem habuisse videntur. Nam Saracenorum res etsi erant magnæ, distractæ tamen erant & diuisæ

x Apo. 9. 14.

y Cap. 16.
12.

diuisæ

diuisæ, nec ferè statum aliquid habuisse videntur, siue mutuis latrociniis & oppugnationibus attriti, siue ab alienis subinde interrupti. Postea verò Turcis eorum omnis potentia cessit, qui tamè per aliquot secula regnū firmare non poterāt, interdum suis discordiis, interdū à Tataris & Mammaluchis, interdū quoq; à nostris impediti. Tandè rem ad quatuor eorū familias delatā vnus Ottomannus, reliquis oppressis, integram ad se rapit, & regnum quod erat hætenus in *fieri*, vt loquuntur scholæ, perducit in *factum esse*, ex quo horrenda consequitur Ecclesiæ dissipatio, quæ de Gog & Magog futura denunciata est. A quibus siue regnum molientibus, siue inter se de regno certantibus, etsi prius Ecclesia non mediocre vulnus acceperat, quæ tamen accepit incommoda non nisi præludia quædam erant & vmbre malorum illorum, quibus pedes manusque solutus iam Sathanas & potestate cælitus armatus, ab Ottomanini regno Christianam remp. grauissimè læsit, & è latissimis spatiis, nobilissimisq; ac cultissimis terræ partibus depulsam, in angustias quasdam & angulos Europæ contrusit.

15 Proxima ratio nihil habet in quo morari opus sit: *Nisi Antichristi persecutio*, inquis, *esset brevissima, multi perirent qui non sunt perituri*. Neque enim quia breuis futura est Antichristi persecutio, ideo ad tres annos & dimidium redigenda est, quia breuitatem temporis docuimus non ex opinione nostra, sed ex scripturæ sensu diiudicari oportere. Locus autem quem adducis ex Matthæo, & *Nisi breuiati fuerit* - 2 Mat. 24.

a Chrysoft.
& Theo-
phyl. in
Mat. 24.
b August.
epist. 80.

sent dies illi, non fieret salua omnis caro, perperam à te ad Antichristi causam accõmodatur, quem a Chrysoftomi, b Augustini, Theophylacti testimonio certum est ad singulares excidii Hierosolymitani calamitates pertinere. Vbi verò addis: Quomodo erit breuissima persecutio, qua supra mille annos durabit? respondeo, nos mille annos persecutioni Antichristianæ non determinare. Quanquam enim ab annis ferè mille Antichristi primum in Ecclesiæ cathedram ascensum æstimamus; non tamen arbitramur mox illum in persecutionis acerbitatem erumpere, sed priùs reliquam seculi potestatem sceptro suo adiungere voluisse, vt vtroque gladio armatus & in omnes omnipotens, cælo & solo priuare posse videretur omnes dictatis suis & legibus non obtemperantes.

16 *Quod pro quarto argumento ponis, Christus prædicauit solum tribus annis cum medio, ita longè abest vt conclusionem tuam inferat, ergo decet etiam vt Antichristus non permittatur diutiùs regnare, vt destruat prorsus & incredibilem demonstret. Nam ego ita disputarim; Christus per tres annos aut paulò amplius septuaginta discipulorum opera adiutus, verissimis & certissimis miraculis diuinitatem ostendens, innocentia vitæ probatissimus, potestate dicendi & docendi autoritate admirabilis, continuis laborum sudoribus & vigiliis exhaustus, quàm parum tamen in vna, & ea quidem haud magna, gente profecit? An tibi omnia videntur Antichristo tam expedita, vt Hierosolymis sedem habens tribus annis &*
dimi-

dimidio , fusque deque vertat orbem terrarum; nationes omnes bello sibi subiiciat; Christianæ disciplinæ vsum omnem publicum evertat ; nouam vniuerso mundi religionem inducat; pontifices, patriarchas episcopos, pastores Ecclesiarum omnium per omnes gentes vel Christum tacere cogat vel mori ; reges omnes & principes, & populos, summos, infimos, tanquam lethæa quadam obliuione correptos ita repentè percellat, vt conscientiam priorem exuant, & impostori scelerato non nisi monstra & portenta loquenti aures præbeant? Veniat ille licèt mille dæmonibus instructus; incredibilia ista sunt, inepta, insulsa, nec aliquid habent quod fidem considerati hominis permouere possit. Sed nolo cramben istam recoquere, cùm satis superque vanitas huius argumenti superiùs indicata fuerit: tantùm illud si perconter Bellarminum, vnde illi constet Christum tribus annis & dimidio prædicasse, vix opinor habet quod respondeat, vt hoc ipso constet eum non tam disputare quàm nugas præsumptionum suarum, & temerè de suo cerebro conceptas opiniones confectari. Quintum & sextum argumentum prætereò, quia tempora apud Danielelem & Ioannem notata, quam explicationem habere debeant, suprà dictum est: dies autem mille ducentos & sexaginta de totidem annis exponendos esse nostra defensio non habet; qui sic exponunt, sequuntur aliquid quod etsi locum illum fortasse non attingat, cum Antichristi tamen negotio optimè constet.

17 Ventilata verò iam argumenti tui propositione maiore, sequitur vt minorem examinemus: vbi quod assumis quoque falsissimum est, *Papam spiritualiter regnasse iam in Ecclesia mille quingentis annis.* Primi enim omnium Episcopi Romani finibus suis contenti, nihil se iuris in alienas Ecclesias habuisse senserunt, quod non aliis quoque in ipsos, siquidem vsus foret, commune esse iudicarunt. Quemadmodum apud Apostolos res habuit; *Hoc erant reliqui Apostoli quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, vt ex d^o equo super omnes Ecclesiæ fortitudo solidata esset; ita quoque par Episcoporum omnium conditio fuit, & siue Romæ quis erat Episcopus siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Rhegii, siue Alexandria, siue Tanis, eiusdem meriti esse putabatur, eiusdem sacerdotii.* Neq; enim ad vnum omnia referri debuisse senserunt: sed ideo *f^o copiosum esse corpus sacerdotum, quorum & episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, vt siquis ex hoc collegio (licet Romanus Episcopus) heresin facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentauerit, subueniant ceteri, & quasi pastores utiles & misericordes oues Dominicas in gregem colligant.* Quòd si ab vno Ecclesiæ summa penderet, verendum statuerunt, ne in illius lapsu fides totius Ecclesiæ periclitaretur, & radix amara suppullulans ramis & palmitibus succum & virus perfidiæ suæ propagaret. Quare vt episcopus Romanus in Ecclesia regnum habeat, non est Ecclesiæ institutio antiqua, sed vsurpatio noua Pontificis, qui per hypocrisin ambiuit

c Cyprian.
de simpl.
pralat.

d Hieron.
aduersus
Iouinian.
lib. 1.

e Idem e-
pist. ad E.
magr.

f Cypr. lib.
3. epist. 13.
g Idem de
simpl.
pralatorii.

ambiuit, & per tyrannidem & scelus arripuit
 quod nemo vnquam veterum ad se pertinere
 cogitauit. Neque enim regnauit in Ecclesia
 Romanus episcopus ante Nicenam synodum,
 cum ^b ad Romanam Ecclesiam paruus respectus
 habebatur, & Cyprianus à Stephano interpella-
 tus responsum reddit: *Habet in Ecclesia admi-
 nistratione voluntatis suæ arbitrium liberum v-
 nusquisque prepositus, rationem actus sui domino
 redditurus.* Neque in Nicena synodo regnauit
 vbi præfuit non episcopus Romanus, sed ^k O-
 sius episcopus Cordubensis (^l cuius concilii tempore
 suo non princeps?) & primus ante legatos episco-
 pi Romani concilio subscripsit: vbi ^m par etiam
 potestas reliquis patriarchis atque episcopo
 Romano attributa est. Neque postea in Eccle-
 sia regnauit, cum ⁿ Ecclesie negotia ex imperato-
 rum nutu pendebant, & maxima concilia de eo-
 rundem sententia conuocata sunt. Neque re-
 gnauit in Ecclesia Leo episcopus Romanus, v-
 bi ad Theodosium Augustum scripsit; ^o Pietas
 vestra supplicationi nostræ dignetur annuere, ut
 intra Italiam episcopale concilium haberi
 iubeatis, & hac in causa ^p cleri & plebis Con-
 stantinopolitanæ vrbis intercessione ad impe-
 ratorem vsus est. Neq; regnauit tempore con-
 cilio Carthaginensis, vbi ^q transmarinæ appella-
 tiones ad Romanum Pontificem interdictæ
 sunt, & ille falsi reus deprehensus, quòd ^r Acta
 Niceni concilii ad hanc appellationum præro-
 gatiuam sibi vendicandam adulterasset, admo-
 netur à partibus ^r ne clericos suos executores ad
 illos mittat, ne fumosum seculi typhum in Eccle-
 siam

h Æneas
Sylu. epist.
301.

i Cyprian.
lib. 2. epist.
1.

k Concil.
Nicen. in
subscript.
l Theodo-
ret hist. lib.
2. cap. 15.

m Concil.
Nicen. can.
4.
n Socrat.
hist lib. 3.

o Leo epist.
p ad Theo-
dos. Au-
gust.
p Epist. 22.

q Concil.
Carthag.
septim. cap.
92.

r ibid. cap.
105.

siam Christi inducere videatur. Neque in sexta
synodo regnavit, quæ secundum imperialem
sanctionem non Pontificiam, congregata est: in
qua præsedit non Romanus episcopus, sed piis-
simus & Christo dilectus magnus imperator Con-
stantinus: in qua Agatho Romanus episcopus
mittens ad synodum legatos, se scribit præce-
ptis imperatoris efficaciter, promptam obsequen-
tiam exhibere, & nisi longus, inquit, provincia-
rum ambitus tanti temporis protelationem inge-
reret, olim hoc studiosa obediētia famulatus noster
impleret: & secundum piissimam iussionem man-
suetudinis vestræ pro obedientia quam debuimus
presentes confamilios nostros curavimus deman-
dare: & hoc imperialis vestra benignitas clemen-
tèr iubens hortata est. & nostra pusillitas quod ius-
sus est obsequenter implevit. Hæc erat antiqui-
tus Episcoporum Romanorum humilitas & Im-
peratorum observatio, qua se in Ecclesiasticis
quoque negotiis eorum iussioni & imperio sub-
iectos agnouerunt. Regnantis verò iam Ponti-
ficus quàm dispar stylus: quantos fastus, quan-
tam spirat Antichristianæ superbiæ vanitatem?
x Ad firmamentum, inquit, cœli, hoc est uniuersa-
lis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id
est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis
authoritas & Regalis potestas: sed illa quæ præest
diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ verò car-
nalibus, minor: ut quanta est inter solem & lunam,
tanta inter Pontifices & Reges differentia esse co-
gnoscat. y Quis dubitet Sacerdotes Christi Re-
gum & principum patres & magistros censerit?
nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius
patrem,

s Constant.
synod. 6.
act. 1. 4. 5. 6.
&c.
t Ibid. act.
1. 2. 3. 4.
&c.
u Act. 4. e-
pist. Aga-
thon ad
Constanti-
num impe-
rat.

x Decret.
Greg. de
masor. &
obed. ca. so-
lita.

y Dist. 95.
Quis dubi-
ter.

patrem,

patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare? ^z Aurum nō tam pretiosius est plumbo, quā ^z Ibid. Duo regia potestate est altior ordo sacerdotalis. Itaque sunt.

^a Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, nō præferre. ^b Superioritatem ad imperium non est dubium nos habere, &c. Hic est, Bellarmine, regnum Pontificis in quo se Imperatore superiorem profitetur: ineptè tu verò Episcopum Romanum in Ecclesia regnasse somnias, quamdiu illum vides in Ecclesiasticis rebus Imperatoris arbitrio subiacuisse. Quanquam in illa subiectione fundamenta regni posuisse videtur, & arripuisse omnia quibus ad principatū Ecclesiæ viam sibi muniri potuisse iudicavit. Postquā enim oculi omnium in Romanam Ecclesiam propter eminentiam loci coniecti esse cœpissent, & imperii nomine primas illi partes in repub. Christiana concederēt; & porrò illam doctorum virorum copia propter exculta ibi studia maximè florentem in maximarum rerum controversiis consulendam putarent, eamq; ob causam Episcopos & Doctores Ecclesiis suis inde rogarent; ambitiosè Rom. Episcopus occupat honores istos, & quiddam sibi præ cæteris excelsum deberi blādo quodam errore præsumit, & ^c consuetudinariam prioritatem, aliarum Ecclesiarum consensu spontaneo permissam, quasi Christi lege constitutam insinuat, & progressum sibi facile sentiens, in auctoritatem conuertit præcipiendi & leges ferendi. cedente aliquantulum huic arrogantia Ecclesia, & malum sibi aliquid inde futurum minimè suspicante.

^a Dist. 96. si imperator.

^b Clement. de appel.

lat. cap. Pastoralis.

^c Marsil.

Patavin.

defens. pa-

ci parte 2.

cap. 18.

18 Hanc Ecclesiæ suæ prærogatiuam, etiam dum adhuc sanctiora erant omnia, excolendam sibi putarunt Episcopi Romani, viri adhuc plerunque minimè mali, siue ingenita omnibus philautia qua nobis locisq; adeò nostris plus æquo benè volumus, siue vitiosa quadam πολυπραγμοσύνη qua præposterè adhibuit illis in causas se omnes ingerere, & quasi sat illis domi non esset quod curarent, aliarum Ecclesiarum negotia vltro ambire. Ex hoc fonte manarunt omnia, quibus illos *Bellarminus* probare vult vniuersalem quandam iurisdictionem exercuisse, in quibus vbi repugnatum est de iure agi non potuisse, manifestum est ex eo quod iam ex Concilio Carthaginensi prolatum est. Quod Ecclesiæ Romanæ summitati tam aduersum Bonifacius secundus intellexit, vt patres illius concilii (in quibus erat *Augustinus*) dixerit, ^d instigante diabolo contra Ecclesiam Romanam superbire cœpisse. Hic ille est qui verecūda hætenus Ecclesiæ patientia insolentè abutens, & de consuetudine legem fabricans, regnum Pontificium primus erexit, & scepro suo vniuersam deinceps Ecclesiam Christi subiugauit. Atque hinc Antichristus natus est; ille qui vniuersali regno fretus facturus esset, ^e omnes gentes de vino bibere fornicationum suarum. Sed tamen nondum oppresso imperatore, nondum absolutè regnavit, obnoxius adhuc imperio illius: illo demùm calcato, plenam regni maiestatem & eminentem illam Antichristi potestatem occupauit, & exinde tenuit, & falsum est quod *Bellarminus* affirmat, Antichristum tribus tantùm annis & dimidio regnare debere.

d Bonifac.
2. in epist.
ad Eulal.
Concil. to-
mo 2.

e Apoc. 18. 3

CAP. IX.

Refutatur sexta Bellarmini demonstratio de breuitate temporis inter Antichristi occisum & secundum Christi aduentum.

AD vltimam *Bellarmini* demonstrationem tandem peruenimus, quæ eadem omninò incude fabricata est. *Antichristi*, inquit, *aduentus erit paulò ante finem mundi: ergo si Antichristus iam dudum venisset, ut aduersarii dicunt, deberet mundus iam dudum esse finitus.* Quid sibi velit *paulò ante finem mundi*, pòst interpretatur, quod suo loco videbimus: interim respondeo, nullum esse scripturæ locum ex quo suspicio aliqua probabilis eluceat, aduentum Antichristi paulò ante finem mundi futurum esse. Illud retissimè dici potest, Antichristum postquam tempus suum expleuerit, propinquante iam Christi aduentu, detectum iri: fraudes eius & imposturas ex verbo Dei patefaciendas, & potestatem eius magis magisq; imminuendam fore, donec adueniens Christus illum prorsùs de superbiæ throno dejiciat, & cum dracone præcipitem agat in ignem æternum. Atq; hoc iam pridem, *Bellarmine*, cœptum est fieri, & oblatrantibus vobis rictu canino, & ferro atq; igne frustra sæuientibus, prosperè succedit. Neque enim ampliùs ita cæcus est orbis, vt Pontificis tui præstigias non optimè intelligat, & lucente iam in scripturis sole iustitiæ, planè agnoscunt quicumque lucem illam hauserunt, hunc illum esse Antichristum quem luculenta descriptione scriptura nobis cauendum præmonstrat. Ba-

bylonem videmus ex parte cecidisse, & execrabile iam factum esse Romanum illud prostibulum, cuius stupris & inquinamentis passim Ecclesia Christi fædissimè contaminata est. Quare non dubitamus quin adventum suum Christus acceleraturus sit, & breui sceleratum illum in æternum profligaturus. Neq; tamen illud *breui* paucis diebus aut annis definimus, qui temporum longe alium censum in scripturis agnoscimus, vt antè dictum est, & breue tempus nonnunquam dici, quod tamen nonnisi vno aut altero, aut tertio fortassè seculo terminatur.

2 Sed quì tu probas Antichristi paulò ante finem mundi aduentum esse debere? *Daniel*, inquis, *capite septimo bis loquens de Antichristo, semel narrans visionem, & semel exponens visionem, utraque vice subiungit post Antichristum statim secuturum ultimum iudicium.* ^a *Considerabam, inquit, cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie illius. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Et infra explicans visionem:* ^b *Bestia quarta quartum regnum erit in terra. Porro cornua decem, decem reges erunt, & alius consarget post eos, & ipse potentior erit prioribus & tres reges humiliabit. &c. Et tradentur in manu eius per tempus, & tempora, & dimidium temporis, & iudicium sedebit, &c.* At quid hìc, *Bellarmino*, ad rem tuam? quid ad tempus aduentus Antichristi? quid hic est quod impediatur quominùs illum credamus, postquam advennerit, per multa secula permanfurum? *Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt:* at qui
 mox

mox atque cornu illud ortum est thronos esse positos non dicit. Et posteriori loco, *Tradentur in manu eius, & c. & iudicium sedebit*; sed quanto post tempore confessus iudicii futurus sit non iudicat: tantum illud fortasse probabilitèr colligi potest, inter Antichristi regnum & iudicii confessum haud aliud regnum sanctis infestum interuenturum esse. Et nos certè non dubitamus ita futurum, vt postquam omnia pro tempore à Deo constituto, vt antè expositum est, tradita fuerint in manus Antichristi, comminuat illum Dominus & destruat, quousque illum aduentu suo prorsus aboleat. Ex quo verò illum destruere cæperit, quousque id facturum sit, quousque aduentum suum pro eodem penitus abolendo prorogaturus, dicimus è sacris Scripturis affirmari non posse.

3 Quanquam sententiam hanc quam tu truncatam affers, imprimis velim vt integram expendas. *Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia & conteratur, & dispereat vsque in finem.* c Vers. 26.
 Quid hoc tandem sibi vult, *vsque in finem*? Nam si iudicii confessus efficiet vt regni de quo Propheta loquitur potentia dispereat vsq; *in finem*, certè confessus iudicii de fine ipso, prout tu vis intelligi non potest. Quod clariùs adhuc erit, si quæ priùs de eadem re in ipsa visione dicta sunt, attentius aduertas. *Aspiciebam* d Vers. 11.
propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta esset bestia, & periisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni: aliarum quoque bestia-

bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus & tempus. Tu enim qui cornu illud Antichristum esse dicis, explica quæso nobis quî futurum sit, vt post vltimum iudicium, quod ibi intellectum vis, aliis illis bestiis quibus potestas ablata est, tempora vitæ constituta sint usque ad tempus & tempus? Quia verò id non potes, aliam cogaris illius sententiam requirere, quam luculentius explicant, qui totum siue de Antiocho, siue de Antichristo intellectum, non de vltimo & finali omnium iudicio, sed de temporali iudicio interpretantur, quo vtriusque potentiam fracturus esset Dominus, vt ne quidē in finem usque restituenda esset. Neque certè quicquam impedit quominus solennem quem Propheta describit iudicii processum, ad veterem Iudæorum historiam referamus. Neque enim mirum est, quòd post indignissimam contumeliam ab homine scelerato sibi & suis factam, deum Propheta quasi ad grauissimam actionem & maximi momenti sedentem introducit ad cognoscendam causam suam & populi sui, & tantam iniuriæ atrocitatem vlciscendam. Porro in iis quæ sequuntur priore loco, *Aspiciebam & ecce cū nubibus cæli, quasi filius hominis venit, &c.* Nihil est quod non perspicuam de primo Christi aduentu & in cælum ascensu, vehente nube, intelligentiam habere possit; quo nempe regnum illud capessuit de quo angelus Mariam affatur: *Dabit ei Dominus sedem patris sui Davidis, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

e Vers. 13.

4 Locus Apocalypticus, *f* Posthac oportet illum solui modico tempore: Et vidi sedes & sederunt super illas, & iudicium datum est eis, &c. 3. 4. *f* Apoc. 20. præterquam quod ad Antichristum non pertinet, nihil habet aduersum nos. Iam enim ostensum est, *modicum tempus* scripturæ phrasi aliud quiddam esse, quàm tu intelligis, & non nisi ineptè, absque vlla probabili ratione, ad Antichristi tres annos & dimidium accommodari. Alter locus ex Daniele ita te nihil iuuat, vt iugulet profus. *Daniel*, inquis, *postquam dixerat cap. 12. Antichristi regnum duraturum diebus mille ducentis & nonaginta subiungit, Beatus qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille, trecentos & triginta quinque, hoc est, vsque ad quadraginta quinque dies post mortem Antichristi: tunc enim Dominus veniet ad iudicium, &c.* An verò, *Bellarmino*, nullum ineptiendi finem facis? Qui regnum Antichristi paulò antè diebus mille ducentis & sexaginta, siue tribus annis & dimidio præcisè determinas, an tu nunc Danielem affers mille ducentos & nonaginta dies Antichristo tribuentem? Si regnum Antichristi duraturum sit mille ducentos & nonaginta dies, falsum est quod antè definis, in quo vestra omnium defensio est posita, regnum Antichristi non nisi mille ducentos & sexaginta dies permansurum. Sed planè demonstras, demonstrationibus tuis non nisi futilem leuitatem & cerebri vehementè læsi vertiginem contineri. Attende verò Iesuita. Si Antichristus tuus non nisi mille ducentos & sexaginta dies regnare debeat, locus hic Danielis de mille ducentis &

nonaginta diebus, Antichristo tuo seruire non poterit. Quare nec locus quem adiungis, *Beatus qui expectat & peruenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, quadraginta quinque dies post mortem Antichristi ad Christi aduentum futuros ostendit, quia post dies mille ducentos & sexaginta, septuaginta quinque dies ad numerum illum trecentorum & triginta quinque dierum conficiendum numerari oporteret. Ita frustra à te hæc omnia disputata sunt, neq; omninò quicquam habes in sacris literis vbi pedem tuum tutò ponas.

g Mat. 24.
36.

§ Ceterùm quæ malùm dementia, vt audeat homo sacrilegus, quod angeli non audent, non possunt: diem vt velit aduentus Christi certissimum definire, & falsissimum futurum asserere sub Antichristo quod Christus præmonuit: *De die illa & hora nemo scit, ne Angeli quidem, &c.* cum cuius expeditum esse poterit, si vera sunt quæ ab illo narrantur, ab Antichristi aduentu tres annos & dimidium: ab occasu ad Christi reditum dies quadraginta quinque numerare. Quid verò illud Christi est, & quò pertinet, ^h *Ecce venio sicut fur: beatus qui vigilat?* &c Et illud Apostoli, ⁱ *Dies Domini venturus est sicut fur in nocte. Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolor parturienti, & non effugient?* ^k *Sicut enim in diebus Noe, ita erit & aduentus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium*

h Apoc. 16.
15.
i 1. Thess. 5.
2.

k Mat. 24.
37.

nium & tulit omnes: ita erit & aduentus filii hominis. Tantane verò orbem securitate sopitum iri credimus, cui iam pro certo esse debet consummationem rerum omnium & seculi finem post quadraginta quinque dies instantè adesse? Postquam in auribus Niniuitarum insonuerat, *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur*, gentem alioqui incredulam & impiam quantum commouit? quantos illi pœnitentiæ labores expressit! Nihilne facturum putas quod denunciabitur orbi iam ab Antichristo liberato: adhuc quadraginta quinque dies & vniuersa mundi machina conflagrabit? Quamquam quid dico orbem ab Antichristi tyrannide liberatum? Nam cum illum oporteat Hierosolymis in Oliueti monte occidi, quam exigua orbis pars quadraginta quinque diebus mortuum illum intelliget? quomodo significari poterit præfectis eius & ducibus, vt à sæuendo desistant, vt Ecclesia è cauernis & speluncis egressa cultum religionis instauret, & Christo mox iam venturo obuiam procedat? quomodo formidabilis Antichristi exitus gentibus & populis indicari vt pœnitentiam agant, & dent gloriam Deo cœli? Atq, ô miseros.

Nos penitus toto diuisos orbe Britannos,
 Ad quos nullo modo poterit rerum istarum fama peruenire. Quin potiùs, ô improbam gentem Iesuiticam, quam fabulis istis & ineptiis imperitorum hominum simplicitati ludificari non pudet. Quanquam ipsam vnã gentem Iudæorum quî credibile est tam exiguo spatio posse integram ad fidem Christi perducì?
 Quos

Quos tandem Apostolos aut Doctores derepentè habitura est, qui illam post mortem Enochi & Eliæ binis mensibus ad Christi disciplinam instituant; qui fidem illis exponant, Mosen interpretentur, Mysteria pietatis aperiant, sacro baptismo tingant, Eucharistia communicent, & ab illa qua innexi sunt superstitione, mox vno momento sublato quod tegit illos velamine, ad Euangelii studium totos inducant? Mira nobis, *Bellarmino*, narras, & quæ fidem nostram excedunt, & veris demonstrationibus opus est vt hîc assensum nostrum extorqueas: putidis istis collectiunculis, quibus nihil inest neruorum aut ponderis, effectum dare quod cupis nunquam poteris.

6 Sed tamen pergis. *Deinde idem*, inquis, colligitur ex *Mat. 24. Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, &c. & tunc veniet consummatio; id est, paulò post erit finis mundi.* Sed expositionem tuam excludit quod supra docuimus, locum illum non de seculi fine, sed de excidio Hierosolymitano exponendum esse. Quanquam vt daremus tibi consummationem seculi ibi intellectam esse, tamen argumentum tuum infirmat quod tuarum partium *Ioannes Hentenius* de illiusmodi locutionibus obseruauit. *Quod dicitur, & tunc apparebit signum filii hominis, & Tunc plangent omnes tribus terræ, non indicat id statim subsequi, sed solum quòd postea sequetur; qui modus accipiendi Tunc, frequens est in sacris literis, quemadmodum annotat noster Euthymius super illud Matth. 12. Tunc adductus est ei demoniacus.*

¶ *Henten.*
præfat. ad
Arth. in
Apoc.

Ita

Ita quoque responsum habes de altero loco,
Statim post tribulationem dierum illorum sol in Mat. 24.
obscurabitur, &c. Et tunc apparebit signum fi- 29.
lii hominis in cælo, &c. vbi illud (statim) haud a-
 litè interpretamur, quàm de *modico tempore*
 iam pridem ostensum est. Proximum illud, 2.
 Theff. 2. *Tunc revelabitur iniquus ille quem in-*
terficiet Dominus spiritu oris sui, &c. rerum or-
 dinem notat, de tempore nihil omninò com-
 meminit, & ineptè abs te adductus est. Senten-
 tia loci ex iis quæ diximus aperta est.

7 Sequitur alterum argumentum, quod te
 hominem excordem & insanum esse conuin-
 cit.ⁿ *Idem, inquis, habetur ex 1. Ioan. 2. Filioli, no-* in 1. Ioan. 2.
uissima hora est, & sicut audistis quia Antichri- 8.
stus veniet & nunc Antichristi multi facti sunt:
unde scimus quia nouissima hora est. Vbi Ioannes,
inquis, dicit hoc tempus à Christo vsque ad finem
mundi, esse nouissimam horam, id est, nouissimum
tempus, siue ultimam ætatem, ut Augustinus ex-
ponit, &c. Rectè verò *nouissimam horam,* o August.
o ultimam ætatem interpretaris ex Augustino, quæ in 1. epist.
 totum hoc tempus complectitur, vt tu rectè Ioan.
 exponis, *à Christo vsque ad finem mundi.* Et quid
 tu tandem habes ex hoc loco ampliùs, quàm
 Antichristum vltima hac ætate venturum esse?
 Huius autem horæ nouissimæ videmus iam se-
 decim secula præteriisse. Cum verò indefinitè
 Apostolus nouissimam horam, hoc est, vlti-
 mam ætatem Antichristo venturo deputat,
 quid hîc est ex quo illum præteritis illis omni-
 bus annorum seculis & centuriis ad tres aut
 quatuor vltimos annos relegandum arbitreris?

Immò qui fateris multos illos Antichristos à Ioanne nuncupatos, quasi radios quosdam magni Antichristi fuisse præmissos; cur non agnoscis, quod consequi necesse est, fieri non posse quin Antichristus olim exortus sit, cuius radios imminētis statim aduētus sui prænūcios ab ipso tempore Apostolorū emicuisse cōpertum est ?

S De patrum testimoniis non laboramus, quos constat dum incertis coniecturis se duci patiuntur, seductos esse, & multa de Antichristo scripsisse, quæ cum sacris Scripturis nō convenire certissimum est. Confessio verò nostra, *Bellarmino*, quid te tandem iuvat, qui Antichristum agnoscimus vsque ad finē mundi regnum quale quale habiturum, sed illum tamen interim per aliquot fortasse secula paulatim esse verbo Christi conficiendum ? Itaque demonstratio tua quam insolubilem appellas, levicula & inepta esse convincitur, & quidem plus temeritatem insulsi hominis & sophisticam vanitatem, quàm dignam Theologo gravitatem & constantiam sapit. Postquam ergò in istis demonstrationibus tuis videmus te, Pontificiæ gentis tantum columen, tam parum habere quod pro Pontifice tuo dicas quominus sit Antichristus : habe tibi vnicam pro tuis omnibus demonstrationem, qua illum Antichristum esse probamus, & quam tu vitare nunquā poteris. De quo enim nulla demonstratio secundum scripturas dari potest quòd nō sit Antichristus, is est Antichristus : De Romano Pontifice nulla demonstratio secundum scripturas dari potest quòd non sit Antichristus :

Ponti-

Pontifex ergò Romanus est verissimè Antichristus. Neque enim quicquam in scripturis Antichristo attribuitur quod non in Romanū Pontificem plurimū & optimè conveniat. Quod vt manifestius fiat, reliqua nobis explicanda iam veniunt de habitu, de actis, de doctrina Antichristi.

C A P. X.

Habitus Antichristi describitur imperatoria maiestate. prætextu hypocritico, & abhominanda Ecclesie desolatione per illum futura.

HAbitus Antichristi, quo tanquam facie atque indumento quodā agnoscitur, maiestatem cōtinet in aspectu, in prætextu hypocritico, abominationem desolationis in effectu. Ad maiestatem pertinet, quòd in Antichristo ^a *imago bestiae futura narratur. Vbi reperendum* ^{a Apoc. 13.} est quod supra vidimus, duas apud Ioannem ^{14.} *bestias* describi, quarum altera imaginem alterius ad viuum exprimit. Posterior priorem potentia æquasse dicitur, ^b *faciens quicquid poterat bestia prior*, etiam *in conspectu ipsius*. Et quidem tanta potentia fuisse describitur, vt priorem bestiam vulnere lethali propè mortuam sanarit, & statum eius collapsum repararit. Postea verò pertæsa, vt videtur, bestiae prioris, & volens magnificentiam eius aliò transferre, imaginem eius effingēdam curavit, eiq; spiritum inflavit, & eò progressa est, vt omnes cogeret venerationem huic imagini bestiae præstare, quam antea bestiae priori præstitissent. Hic iam *bestia prior* vetus est imperium Romanum. *Imago* verò non ipsa res est cuius imago dicitur, sed quidam

dam instar illius. Erit ergo Antichristi status non idem ipsum imperium, sed quiddam imperii simile, quia mortuam imperii dignitatem & potentiam in seipso & suis citra nomen imperii, nouo stylo, iure nouo resuscitabit. Quò illud *Bellarmini* pertinet, cui seipsum confodere non rarum est: *Antichristum fore ultimum, qui tenebit Romanum imperium, tamen sine nomine Romani imperatoris.* Hæc verò Antichristi nota quem maximè feriat, haud erit difficile iudicare, si illum animaduertamus qui occupata imperii sede, mutato imperii nomine, maiestatem imperatoriam & multò etiam maiorem, titulo Pontificis & Ecclesiæ iure vendicauit. Enimuerò Romanus Pontifex hîc apertissimè notatur, qui quum attritis Romanis viribus, & exturbato ex Italia imperatore, corruisse iam imperium & iacere videretur, plagam hanc lethalem nouo imperatore sufficiendo curauit, & veteris imperii maiestatem in Occidente utcunque renouauit. Quod ille callido consilio fecit, ut ipse viribus imperatoris à se creati fortior esset, & principatum Ecclesiæ quem intenderat, & obtinere faciliùs, & commodiùs tueri posset. At qui paulò pòst tanti operis conscientia superbiens, & molestè ferens imperatori patère quem ipse fecerat, excussit iugum subiectionis, & imperatorem Romanum vrbe Roma exulare iubens, simulachrum quoddam imperii in se & suis ibidem erexit, & tumultu ac tyrannide perfecit, ut Roma iterum Ecclesiæ nomine omnibus imperitaret, & occideretur quicumque huic idolo, & sibi maximè tanquam

Cap. 15. de
miraculis
Antichristi.

quam capiti, veterem imperii honorem & venerationem denegaret.

2. Atque hîc diligentèr consideranda est distinctio illa, quam suprâ meminimus, *imperii temporalis & spiritualis*, qua quidem illorum totum hoc arcanum nobis evoluūt. *Temporale imperium* antiquum illud appellant imperatorum Romanorum: *spirituale*, quod nunc illius loco subrogatum Pontifex tenet, quo idem nunc est orbi reliquo Ecclesia Romana, quod erat olim ciuili iure ciuitas Roma. Cùm sit ergò vtrinque imperium, & spirituali iure nunc imperet Pontifex quemadmodum olim imperator temporali; dubitari non potest, quin *imago bestiae*, hoc est, veteris imperii, sit in imperio spirituali, hoc est, Pontificatu requirenda. Quanquam Ecclesiæ titulo vtrunque gladium arripuit, & non spirituales modò iurisdictionem, sed temporale quoque dominium inuasit; neque modò territoria quædam politico iure sibi deuinxit, sed totum quoque ius imperii suum esse Stentorea voce declamitat, tanquam ipse verissimè sit imperator, imperatorem verò vulgò dictum tanquam subregulum quendam habeat, *procuratorem suum & sedis Apostolicae aduocatam*, & non nisi placiti sui & voluntatis administrum. Itaque Adrianus quartus: *Imperium, inquit, nostrum est, nos illud damus cui volumus.* Et Cælestinus tertius vbi diadema regium pedibus interceptum Henrico sexto imposuisset, pede iterū excussit, vt significaret suum esse scilicet imperium conferre, & suum quoque, si malè mereatur, cui dederit

d Tho. Aquin. in 2. Thess. 2. lect. 1. Glossa ordin. ibid.

e Dist. 96. si imperator. in glossa. f Adrian. 4. apud Auent. Annal. lib. 5. 6. g Ibid.

h Foxe martyrolog. par. 4. ex duob. Chron. manu- script.

i Paralei-
pom. Abb.
Vrßperg.

g Anglo-
rhem. An-
notat. in
Apo. 17. 18.

auferre. Quare Bonifacius octauus quo tem-
pore primum egit *Iubilæum*, electionem Al-
berti ducis Austriæ superbè reiciens, illam de-
nuncians *sive auctoritate sua factam robur non*
habituram, quippe penes se esse affirmans *utrius-*
que gladii potestatem, hoc vt ostenderet, *primo*
solenni die in Pontificalibus apparens Apostoli-
cam populo benedictionem impertitur. Postero die
(vt intelligamus non *8 patriam* duntaxat *Eccle-*
siæ potestatem, vt mentiuntur Anglorhemenses,
sed ipsam imperii maiestatem à Pontifice ven-
dicari) *habitu imperiali, Cæsarea infula insignis*
gladium ante se nudatum deferri iussit, & sedens
alta voce testatur. Ecce duo gladii hîc. Ex vngui-
bus leonem agnoueris; & ex habitu imperato-
rio imaginem bestię, hoc est, Antichristum.

3 Quamquam vt *imaginem bestię* perfectiùs
& clariùs intueamur, non hîc è Christianis im-
peratoribus quisquam, sed priscus ille Ethnicus
& idololatra & Christi hostis cum Pontifice
comparandus est. Enimuerò ex omni parte al-
ter alterum æmulatur, & ita iustis passibus in
iisdem vestigiis inambulant, vt non sit ferè o-
uum ouo similiùs, quàm imperatori Ethnico
Pontifex Christianus. Id liquidò constabit, si
parallela quædam imperatorum & Pontificum
descripserimus, & planè videbimus non sine
singulari ratione *imaginem bestię* in hierarchia
illa Romana collocari. Eodem stylo gloriantur,
eandem imperii latitudinem ostentant, eadem
absoluta potestate sibi omnia licere permit-
tunt. Atque vt ab Augusto Cæsare incipia-
mus, ab illo Hyperaspistes ille Romanus
h Pontifex

^b Pontificis maximi nuncupationem mutuatus h *Abb. Vr.*
 est. Quo non contentus, ad Caligulæ super. *sperg. in*
 biam accessit, & ut ille ^c *Cesar optimus maxi-* *Chron.*
^d mus, ita hic ^e *Pontifex optimus maximus* proprio *i Sueton.*
 diuinitatis cognomento salutaris sustinuit. Do- *k Sixti Se-*
 mitianus de se dici voluit, ^f *Dominus & Deus* *nenfis epist.*
^g *nostris sic fieri iubet*; & pariter de Pontifice Ro- *dedicat.*
 mano dictum est, ^h *Crederet Dominum Deum* *i Sueton.*
ⁱ *nostrum Papam sic non potuisse statuere prout sta-* *m Extrat.*
^j *tuat, hereticum censeretur, & ipse sibi ^k Dei no-* *Ioan. 22.*
^l *men tanquam à Constantino impositum im-* *cap. Cum*
^m *pudenter assumit. Caligulæ vox erat qua auiam* *inter. in*
ⁿ *suam Antoniam monentem repulit: ^o Me-* *glossa sub*
^p *mento mihi omnia & in omnes licere: & Anto-* *finem.*
^q *nianus Bassianus priuigni responsura inuitantis* *n Dist. 96.*
^r *illum ad stuprum cupidè amplexus est, ^s si libet* *satis eui-*
^t *licet; an nescis te imperatorem esse, cuius est leges* *dentèr.*
^u *dare, non accipere? ita quoque Pontificibus* *o Sueton.*
^v *q̄ persuasum est ab assentatoribus suis quòd o-* *p Chron.*
^w *mnia possent, & quòd liceret illis quicquid liberet,* *Carion.*
^x *etiam alioqui illicita; ^y illis voluntatem esse pro* *q Fran.*
^z *ratione; ^z posse illos iudicare omnes, & posse à ne-* *Zabarel.*
^{aa} *mine iudicari: ^{aa} illorum legibus omnes de neces-* *Catal. test.*
^{ab} *sitate salutis obedire teneri, ipsos ^{bb} aliorum legi-* *Verit.*
^{ac} *bus astringi non posse; nec esse qui Pontifici* *r Decretal.*
^{ad} *dicat, ^{cc} Domine cur ita facis? cui tamen ipsi ^{cc} li-* *Greg. de*
^{ae} *cet pro arbitrio animi sui aliorum acta vel* *translat. e-*
^{af} *rescindere vel approbare. Nero ^{dd} terrarum* *pist. cap.*
^{ag} *orbem suum esse dicebat, & in sua potestate fuisse* *Quanto. in*
^{ah} *regna dare & adimere: & Pontifex orbem terra-* *glossa.*
^{ai} *rum* *Extrav.*
^{aj} *rum* *de maior.*
^{ak} *rum* *& obed. ca.*
^{al} *rum* *Unam san-*
^{am} *rum* *ctam in*
^{an} *rum* *glossa.*

^c *Clemen. lib. 5. de heret. cap. Ad nostrum, in glossa. uo. Quast. 3.*
^d *Cuncta. x Extrav. 10. 22. ad Apostolatus in Glossa. y Platin. de vitio*
^e *Pontif. in Paul. 2. 2. Dion.*

a Decret. Greg. de foro com- petenti. ca. Licet & de appellat. ca. Et debi- tus. in glos- sa. rum dioccesin suam, ^a *unius omnium hominum ordinarii, esse dicit, & se à Deo ^b constitutum esse gloriatur super gentes & regna, ut reges siue plan- tet regna conferendo, siue euellat auferendo.*
*c Caligula & post illū ^d Maximinus iunior in sa- lutationibus superbissimus pedes suos osculandos præbuerunt, & ^e Diocletianus arrogantissima vanitate calceos suos eo fine gemmis & auro curauit ornandos: & Pontifex eadem superbia aut multo maiore non modò vulgus homi- num, sed ^f reges ipsos & imperatores ad pedum suorum oscula subiugauit. ^g Claudius tantum se posse putauit, ut veniam daret incestarum nu- ptiarum, & matrimonium patruum cum nepte sua legitimum esse iuberet: & Pontifex tantun- dem se posse præsumit, & ^h dispensatione sua ratos esse iubet incestos contractus, quos lex diuina irritos & impios esse decernit. Impera- tor suæ potestatis esse censuit catalogo diuo- rum adscribere quos voluit, quomodo ⁱ Adria- nus cōsecrauit Antinoum Ganymedem suum, illique sacrificiorum & supplicationum hono- res constituit: & hoc Pontifex sui nunc iuris esse denunciat, & mortuos pro arbitrio suo di- uorum numero haberi iubet, & calendario sanctorum inscribit, quos Christiani omnes, nec ipsos modò, sed etiam imagines & reliquias eorum, precibus & sacrificiis frequentare te- neantur. Caligula tanquam iuris vsum omnem aboliturus dicere solebat; ^j *Ego me herclè effi- ciam nequid respondere possim præter æquum: & Pontifex hoc quidem effecit, ut quicquid le- ges loquantur, id tantummodo æquum haberi debeat**

debeat

b Extrat. de maior. & obed. & nam san- ctam.

c Sueton. d Jul. Ca- pitolin. in Maximin. iuniore.

e Pompon. Latus.

f Ceremo. eccle. Ro- ma. lib. 1.

sect. 5. de reuerentiis Papa exhi- bendis.

g Sueton. h 30. q. 3. ca. Pitacium in gloss.

i Clem. A- lex. in pro- trept. & O- rigen. cont.

Cels. lib. 3. i Sueton.

debeat quod ille respondet, quippe habens *curia omnia*, ut ipse loquitur *in scrinio pectoris sui collocata*; ac proinde *servandum* præcipiens quod ille vult, licet durum, & ^m pia devotione tolerandum, licet vix ferendum iugum imponat. Vespasianus lucro etiam turpissimo seruiens, ⁿ de vrinis vectigal instituit; & Pontifex eodem animo ^o de prostibulis. Nero ubi cuiquam officium delegavit, *scis*, inquit, *quid mihi opus sit, & Hoc agamus ne quis quicquam habeat*: & Pontificis idem animus, idem mos, cuius ex usu, ne quis quicquam habeat, *Romana curia instar barathri potestatem habet, & consuetudinem omnium redditus absorbendi*. Vespasianus civiles honores pretio vendere solitus est: & Pontifex Ecclesie prælaturas, *simoniam pro nullo in convenienti reputans, quæ perinde regnat in Romana curia ac si nullum peccatum esset*. Imperatores Romani mutuis cædibus plerunque fastigium illud honoris adepti sunt: & hæc ad Pontificatum via communis & trita, ita ut Hildebrandus ^x sex aut septem ex ordine Pontifices, Brazuti operâ familiaris sui, veneno sustulerit, ut ipse in eandem pestilentie cathedram succedere posset. ^x Nero quos opulentos & diuites cernebat, aut vi aut veneno & fraude tollendos curavit, ut ipse opibus eorum potiri posset, & Vespasianus rapacissimos quosq; ad ampliora promovit, ut locupletiores factos condemnaret, usus illis tanquam spongiis, ut & siccos madefaceret, & madefactos exprimeret: & eadem arte Alexander sextus ^z opulentissimum quemq; in aula sacerdotem, & in his aliquot Cardinales ceteris

k *Platin. de vitis Pont. in Paulo 2. l Decretal. Greg. de Verborum signific. ca. Olim. in glossa. m Dist. 19. In memoriam. n Dion. o Baleus de act. Rom. Pontif. in Paulo 3. p Sueton. q Matth. Parisiens. in Henr. 3. r Sueton. s Matth. Paris. in Henr. 3. t Catal. test. Ser. ex Durando. u Benno Cardin. in Epist. x Sueton. y Sueton. z Oxuphr. in Alexan. teris 6.*

a Sueton.

teris ditiores veneno tollendos constituit, ut eorum opibus in fiscum redactis potitus profusissimè largiretur. Caligula Romanis infensus, ^a unam omnibus cervicem optavit, ut vno icu simul omnes occiderentur: & Martinus secundus in Germanos commotus optavit, ut ^b tota Germania unum stagnum esset, ut simul omnes mergerentur, vnde Epitaphium illius:

b Catal.

test. Verit.

ex Nicholao

de Bibrach.

c Ibid.

^c Hic iacet ante chorū submersor Teutonicorū,
Pastor Martinus, extrā qui totus ouinus,
Et lupus introrsus, cui nulla redemptio prorsus,
Sed fit ad inferna detrusus ab arce superna.

Quid referam detestabiles incestus, adulteria, Sodomiticas veneres, fœdissimos luxus, quibus vtrinq; sibi mutuo respondent *bestia & imago bestia*, quibus Zysti illi nostri, & Iulij, & Ioannes, & Bonifacij, & Pauli veteres illos imitantur & exprimunt Tiberios, & Caligulas, & Nerones, & Heliogabalos, ut eadem omnes alio prodisse non dubitemus? Enimvero longum esset omnia persequi, neq; necesse erit: ista sufficiunt ut intelligamus *imago bestia* quò referenda sit, & planè videamus Romanum Pontificem ipsummet esse Antichristum, quippe in quo veteris imperij lineamenta pinguntur, & tanquam in speculo facies & simulachrum viuis coloribus clarissimè refulget.

4 Porro *hypocrita* est Antichristus, & totus ex fraude compositus: aliud specie, aliud re: blanditur fœminina facie, cuspidata cauda pungit & perimit: vellere ovis, dente lupus: verè

d Gen. 49.

August.

l. 9.

^d Dan coluber in via, non tam aperto Marte,
quàm ex insidiis pugnans: ^e quasi leo in spelunca
sedes.

sedet in occultis ut interficiat : f nusquam terror
 eius apparet donec aperte decoret. & Neque enim
 quia minaturus est, in Ecclesiam introibit, sed in
 cathedram plumis Ecclesiae vestitus arte subre-
 pet, ^h nasciturus ex humili loco, sed principatum
 obtenturus per fraudulentiam, quia (licet ⁱ indi-
 gnabundus contra testamentum Dei (simulabit se
 tamen ducem foederis, hoc est, legis & testamenti
 Dei. Atque acutè quidem Origines animad-
 uertit, ^k quia tunc maximè exuberat malitia per-
 ueniens ad extremum sui fastigium, quando boni
 specie prætexitur, ideò per nequissimum illum ita
 fieri oportere, ut quem artificem summæ malitiæ
 futurum intelligimus, eundem constet hone-
 stissima præscriptione pietatis nefaria sedu-
 ctionis impiæ consilia tenturum. In ^k fronte Ba-
 bylonica meretricis scriptum est, *Mysterium, &*
 Antichristo attribuitur ab Apostolo, ^l *myste-*
rium iniquitatis : quorsum ? nisi ut fraudes eius
 non apertas, sed mysticas esse sciamus, ^m *mysti-*
cam iniquitatem, id est, pietatis nomine palliatam,
 ut velint haberi ministri Christi, qui sunt pseudoa-
 postoli & Antichristi, Nam quòd Bellarminus
mysterium iniquitatis ad Neronem refert, præ-
 terquam quòd insulsum est & rationem nul-
 lam habet, hoc ipse quoque reiicitur, quòd
 propemodum extra cōtrouersiam est, episto-
 lam illam ad Thessalonicenses ante tempora
 Neronis esse conscriptam. Iam verò ^p *myste-*
riorum ea semper est ratio ut in illis maximè
 absconditum sit quod maximè sunt, & aliud o-
 stendant, aliud efficiant. Quare *mysterium*
iniquitatis, ut in re opposita, quiddam habet
 simile

f Remig. i.

bid.

g Cyprian.
lib. 1. epist.

3.

h Hieron.

in Dan. ca.

11.

i ibid.

k Origen.

cont. Cele-

sum. lib. 6.

k Apoc. 7. 5

l 2. Thess. 2.

7.

m Glossa

ordin. in 2.

Thess. 2.

n Cap. 2.

o Vide

Theodor.

præfat. in e-

pist Pauli.

p Chrysost.

in 1. Cor.

hom 7.

q 1. Tim. 3. 16. simile *9 mysterio pietatis*. Quemadmodum enim Christus occultente illum velamine carnis infirmæ clam venit, & *r à suis neque cognitus neque susceptus est*, quia non oculis & aspectu, sed fide tantum & virtute secundum Scripturas dijudicari potuit: ita quoque de Antichristo, vbi in illo *mysterium* attendere iubemur, intelligendum est, speciosis quibusdam integumentis & verborum coloribus obtectum dignosci non posse, præterquam ab iis qui non prætextu illum & specie, sed effectu & opere cum Scripturis comparato æstimandum didicerunt Christi sublimitas & diuina magnitudo in humilitate & abiectioe sepulta non apparuit: contrà verò Antichristi abiectio & indignitas spléndidis nominibus & magnificentissimis elogiis exornata, perstringit intuentium oculos, vt illum in Ecclesia dominantem non persentiant. Itaque Christus testaceo vase thesaurum salutis offerens, repudiatus est per inscitiam à Iudæis: Antichristus *Saureo poculo* venenum propinans, suscipitur per amentiam à Christianis.

t Apoc. 13. 11. Porro hypocrisin Antichristi Ioannes alibi depingit, vbi illum describit *t duo cornua habentem similia agni; loquentem verò tanquam draconem*. Vbi Lyranus: *u Similia agni scilicet Christi, cuius duo cornua sunt duo testamenta: & Primasius: x Duo testamenta vero agno competentia more agni sibi competere tentabit, vt draco tamen loqui dicitur, quia per hypocrisin similitate veritatis quos seduxerit decipiet. Agni enim similis non esset, si apertè vt draco loqueretur: nunc*

agnum

agnum fingit ut agnum, id est, Christi corpus in-
 uadat. Deniq; ille quicumq; author est Glossæ
 ordinariæ, ad totum Antichristi gregem ac-
 commodans, *⁊ simulabunt, inquit, se habere in-* y Glossa or-
din. ibid.
nocentiam, ⁊ puram vitam, ⁊ veram doctrinam,
⁊ miracula quæ Christus habuit ⁊ suis dedit.
 Vnde perspicuum est Antichristum Christi ho-
 stem ita futurum, ut tamen Christi nomine sa-
 crilegia sua præmuniat, Christi auctoritatem
 obtendat, Christi potestatem in miraculis præ-
 se ferat, testamentum Christi mentiatur, & pro-
 inde fidei articulos profiteatur quidem, sed
 vim eorum elidat, sensum eludat, & quasi exic-
 cata medulla, succo & sanguine extracto, verba
 tantum fidei proferat, potestatem & virtutem
 aliò transferat: denique locuturum instar dra-
 conis, & horrida voce truculentas minas eiacu-
 laturum, ita tamen ut non nisi agni, id est, Christi
 cornib. ferire videri velit. Ac ne sim hac descri-
 ptione longior, Apostaticus ille *novissimorum*
temporum spiritus erroris, quo authore multi
discedent à fide, mendacia loquetur & doctrinis
dæmoniorum, sed ⁊ in hypocrisi, & falsi doctores 21. Tim. 4.
 Antichristo famulantes *hereses exitiales non* 2.
 hostilitèr denunciato bello præ se ferent, sed
 proditoria perfidia clam & callidè *subintro-* 22. Pet. 2. 1.
ducent, re ipsa quidem abnegantes dominum qui
ipso mercatus est, sed tamen non nisi fictis ser- b Vers. 3.
monibus mercaturam animarum exercentes.

6 Jam verò qui quod hætenus speculamur
 in re subiecta desiderat, recognoscat ille frau-
 des & fucos, lenocinia & pigmenta Ecclesiæ
 Romanæ: nihil ibi viderit nisi larvas & perso-
 natos

natos histriones. Iupiter ille Romanus, antesignanus hypocritarum, quasi laruatus quidam Amphitryo, dum se maritum Ecclesiæ fingit, agit adulterum, & diris amplexibus venenoso femine generosam Ecclesiæ propaginem, spurios nescio quos siue Centauros & Gorgonas, siue Satyros & syluestres faunos supponendo vitiauit. Vno verbo totus impostor est. Ser-

e Gen. 9. 25.
d Auent.
annal. lib.
7.

num se *seruorum* appellat, vt maledictam ^c Chami sobolem agnoscas, qui tamen ^d dominus dominantium perinde ac si Deus foret esse contendit; cuius intractabilem superbiam rex Francorum expertus in causa *Frederici* cum se nullo modo

e Mat. Paris. in Henr.
3.

exorari pateretur, ^e recessit iratus & indignans, ait historia, quòd humilitatem quam sperauerat in seruo *seruorum* minimè reperisset. Vicarium se *Christi* denunciat qui nihil habet commu-

f Balau in
Vitis Pontif. in Leone 10.

ne cum Christo, qui in angulis nefanda blasphemia ore spurcissimo ^f *fabulam* appellat id totum quod credimus de Christo. Petri se successorem importunè gloriatur, qui tamen

g Platin. in
Ioanne 10.

^g à Petri vestigiis discessit, ^h potestate seculari

h Bernar. de Consider. lib. 4.

Constantino similior factus quàm Petro; imò ⁱ Romulo magis succedens, vt Adriano ipsi visum est, in parricidiis, quàm Petro in pascendis

i Catal. test. Verit. pag. 387.

ouibus, & improba sacrorum nundinatione ad Simonem Magum quàm ad Simonem Petrum propiùs accedens. Ecclesiæ se *caput* appellat,

k Mat. Paris. in Henr. 3.

qui factus Ecclesiæ ^k *vitricus* latrociniis suis prædatur illam & expilat, vexat iniuriis, & infi-

l Catal. test. Veritatis ex diuersis. pag. 260.

nitis ^l *grauaminum* oneribus fatigat. *Clauigerum* regni cælorum se putari vult, qui totus cum diabolo confœderatus ad animarum pernici-

51. &c.

ciem,

ciem, vt domini sui negotium strenuè & secu-
rè peragat, de se interim cautum esse vult, vt
m *exsi innumerabiles secum animas ducat ad in-*
fernum, nemo tamen illum iudicet, nemo ei di-
cere audeat, *n* *Cur ita facis?* Sub his integumen-
tis quasi quadam præditus auctoritate peccan-
di vulpinatur & lupizat, & sibi omnia licere pu-
tat, dum susque deque vertit omnia. Qui dum
Canina esurie bolum omnem arreptat, & vul-
turinis oculis in omnem prædam inuigilat, *o* Pe-
trum & Ecclesiam auaritiæ suæ patronos & in-
tercessores prætendit. Dum superbissimè se ge-
rit, & ab imperatoribus & principibus tan-
quam à seruis & mancipiis ministerium & ob-
sequium sibi deferri postulat, osculari pedes,
equum educi, teneri suppedale, honores istos
iure sibi tanquam *p* beato Petro debitos præsta-
ri defendit. Dum stomacho indulget suo, im-
probus veterator *q* Petrum & Paulum, quasi il-
lorum res agatur, arbitros & vindices inter-
pellat. Dum imperii maiestatem labefactat, *ne*
r *per illius potestatem corrigantur quos in impe-*
rium patrauit excessus, & inde debitas subeat
disciplinas, *s* *sophistica & derisibili pietate do-*
losè prætendit se omnia facere, vt Ecclesie vi-
delicet iura defendat; & quos habet per rebel-
lionem consiliorum suorum adiutores, eos Ec-
clesie filios appellat; qui verò in debita fidelita-
te suo principi obediens persistunt, schismaticos
& hereticos nominat & Ecclesie inimicos Pe-
tri sedem, Petri patrimonium, Petri honorem,
Petri iniuriam vociferatur; etiam amiculam
suam Hildebrandus, si placet, ** Sancti Petri*

*m Dist. 40.
si Papa.*

*n Decretal.
Greg. de
translat. e-
pis. cap.*

*Quanto in
glossa.*

*o Ceremon.
Eccle. Rom.
lib. 1. sect.
5. Dist. 90.
c. Constan-
tinus.*

p Ibid.

*q Platin. de
vitis Pon-
tis. in Gre-
gor. septi-
mo.*

*r Marsil.
Patau, de-
fens. pacis.
par. 2. ca. 26
s Ibid. cap.
25.*

** Baleus de
act. Rom.
Pontif. l. 5.
filiam in Greg. 7.*

† *Idem, in Honorio. 2.* *filiam salutatur: legatos suos † S. Petri vicarios appellat: Ecclesiam, Ecclesiam sanctam in rem malam, Romanam Ecclesiam vsq; ad fastidium increpitat, vt inhonestis artibus & consiliis suis pietatis & iustitiæ colorem obducat. Ita illum refert Matthæus Parisiensis cum Frederico bellum gerentem legatum in Angliam misisse, qui clerum induceret vt quintam partem bonorum ei soluerent, ^t *varias pressuras patefaciens quas pro iustitia Ecclesiæ sustinuit Dominus Papa ferendo insultus Frederici.* Vix risum tenuerit opinor (quanquam quis non detestetur vafri nebulonis impudentiam?) qui epistolas illas legerit ^u *Stephani secundi asinino stylo conscriptas ad Pipinum regem, factum iam mancipiū Ecclesiæ Romanæ, propter regnum Franciæ nefariè sibi paulò antè à Pontifice collatum, quibus opem eius contra Longobardos ^x ad iustitiam scilicet beato Petro faciendam, & bonum exitum in causa beati Petri ponendum. Crocodili lachrymis flebiliter implorat. Ac nequid desit ad cumulum fraudis & impudentiæ, tanquam in Petri persona scribit Epistolam, & illū pro se loquētem introducit; ^y Petrus vocatus Apostolus à Iesu Christo, Pipino, Carolo, &c. Ego Petrus Apostolus dum à Christo Dei vivi filio vocatus sum supernæ clemētiæ arbitrio, illuminator ab eius potentia totius mundi sum præordinatus, &c. Ideoq; ego Apostolus Dei Petrus, qui vos adoptiuos habeo filios ad defendendum de manibus aduersariorum hanc Romanam ciuitatem & populum mihi à Deo commissum, seu & domum vbi secundum carnem requiesco de contaminatione gentium**

Mat. Pa. ris. in Hen. 3.

Centur. Magdeburg 8. ca. 10.

x Epist. 3.

y Epist. 2.

tuum

tium eruendam vestram omnium provocans dile-
 ctionem adhortor, &c. sed & Domina nostra Dei
 genitrix semper virgo Maria nobiscum vos ma-
 gnis obligationibus adiurans protestatur atq; mo-
 net & iubet, simul etiam & throni & dominatio-
 nes, vel cunctus cœlestis militiæ exercitus, necnon
 & martyres atque confessores Christi, & omnes o-
 mninò Deo placentes, & hi nobiscum adhortantes
 & coniurantes protestantur, quatenus doleat vo-
 bis pro ciuitate ista Romana mihi à Domino com-
 missa, & ovibus dominicis in ea commorantibus,
 nec non pro sancta Dei Ecclesia mihi à Domino
 commendata: defendite atq; liberate eam sub nimia
 festinatione de manibus persequentium Longobar-
 dorū, ne (quod absit) corpus meū quod pro Domino
 Iesu Christo tormēta perpeffum est, & domus mea
 ubi per Dei præceptionem requiescit, ab eis conta-
 minentur, & populus meus peculiaris lanietur
 amplius, &c. Prestate populo meo præsidia totis
 viribus vestris, ut ego Petrus vocatus Dei Aposto-
 lus in hac vita & in die futuri examinis vobis al-
 terna impendens patrocina, in regno Dei lucidif-
 sima ac præclara præparem tabernacula, &c.
 Currite per Deum viuū & verum vos adhortor &
 protestor, &c. Non separemini à populo meo Ro-
 mano: sic enim sitis alieni aut separati à regno
 Dei & vita eterna. Quicquid enim poscētis à me,
 subueniam vobis videlicet, & patrocinium im-
 pendam, &c. firmissimè tenete quòd ego servus
 Dei vocatus Apostolus, in omnibus vestris necessi-
 tatibus, dummodo precati estis, auxiliatus sum,
 & victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis
 vestris tribui: & ni ante attribuam, nihilominus